DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA INAUGURALIS,

DE

IIS, QUAE AD TOLLENDUM SERVORUM AFRORUM COMMERCIUM,

INDE A

CONGRESSU VIENNENSI,

INTER POPULOS GESTA SUNT.

TYPIS A. ZWEESAARDT.

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA INAUGURALIS,

DE

IIS, QUAE AD TOLLENDUM SERVORUM AFRORUM COMMERCIUM,

INDE A

CONGRESSU VIENNENSI,

INTER POPULOS GESTA SUNT,

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

Joannis Rudolphi Thorbecke,

JUR. R. ET H. D. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS

AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JACOBUS DE NEUFVILLE, AB.F.,

AMSTELODAMENSIS.

AD DIEM IX NOVEMBRIS MDCCCXL, HORA I.

IN AUDITORIO MAJORI.

AMSTELODAMI,

APUD D. GROEBE.

MDCCCXL.

PARENTIBUS

OPTIMIS, CARISSIMIS,

hasce studiorum primitias omni,
qua decet, pietate

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Lectionibus de Jure Gentium aestumatissimi Praeceptoris V. Cl. den Tex *quum interessem, inspiciendam mihi dedit egregiam Dissertationem Historico-Politicam, a Viro Cons.* Nedermeijer von Rosenthal, *anno* 1816, *publice defensam,* de servorum Afrorum commercio eoque recte sublato, nec non de Afrorum servitute penitus tollenda.

Summa oblectatione fateor illam perlegi, et quum tempus advenisset, quo, decurso fere stadio Academico, mihi de materie speciminis conscribendi cogitandum esset, initis ea de re cum V. Cl. den Tex *consiliis, ipsa illa Dissertatio animum meum impulit ad tentandam continuationem speciminis supra memorati, qua scilicet comprehendantur, quae in eodem argumento per hos proximos fere viginti quinque annos, inter gentes peracta fuerunt.*

Manum ita operi admovi, ad Rosenthalii *exemplum non solum de Afrorum servorum commercio, verum etiam de tollenda servitute latius disquisiturus. Cum vero jam per satis longum tempus primae harum parti, de tollendo nempe servorum Afrorum commercio, operam navassem, quae sic collegi tam amplam jam disserendi materiem mihi praebuerunt, ut de commercio servorum tantum agere decreverim, iis omissis, quae ad libertatem servis donandam spectant.*

Habeo certe quod merita concelebrem eorum Virorum humanissimorum, qui ex librorum, quos possident,

eximia suppellectili, eos, quibus quam maxime ad hoc argumentum tractandum indigerem, liberaliter admodum mihi suppeditarunt. Et sic jam hanc scriptionem meam, ut benevolo animo Lector (si quem habere ei contingat,) accipiat, iterum iterumque precor!

Ultimum sed dulce mihi incumbit officium iis Viris Clarissimis, quorum lectionibus in Athenaeo Amstelodamensi interesse mihi licuit, gratum animum significandi pro multis iis, quae illis me debere lubens profiteor. Accipiatis igitur Viri Clarissimi, Aestumatissimi Praeceptores! gratias quam maximas pro egregiis in me collatis beneficiis. Numquam Viri Clarissimi van Lennep *et* van Hall! *egregiae institutionis et disciplinae immemor ero, et qua me excepistis, amicitiae, dulcissima mihi semper erit recordatio.*

Quid vero pro singulari tua benevolentia et amicitia tibi referam Cl. den Tex!, *qui praecipue animum meum illius jurisprudentiae partis amore imbuisti, quae mihi maxime placebat, et praesertim in hocce specimine conficiendo mihi consilio tuo semper adfuisti? Accipe grati discipuli testimonium, qui, si quod in iis, quas profiteris, disciplinis profecerit, id unice tuae institutioni acceptum refert.*

Utinam vos omnes Athenaeo studiosis, omnibusque quibus carissimi estis, diu servet ac tueatur D. O. M.!

Nec te Cl. Thorbecke! *promotor Aestumatissime, praeterire gratus sinit animus; accipias tu quoque gratias pro humanitate, qua egregia consilia tua mecum communicasti.*

Vos denique Amici! quorum dulcissima consuetudine vel in privata vita, vel in studiis, vel etiam in sodalitiis frui mihi licuit, valeatis, neque mei sitis immemores, ut et mihi vestri memoria semper grata atque jucunda sit!

ARGUMENTORUM DISTRIBUTIO.

Caput Primum.

DE IIS QUAE DE TOLLENDO SERVORUM AFRORUM COMMERCIO BREVI ANTE CONGRESSUM VIENNENSEM, PERACTA FUERUNT.

Anglia profecto ea fuit regio in qua plurimum et maxima cum efficacitate, de toto miserrimorum Afrorum commercio prohibendo deque eorum emancipatione promovenda actum fuit, cum aliis modis, tum pacta cum aliis gentibus ea de re ineundo, neque minorem hisce conatibus quam armis et rebus bellicis gloriam est adepta. Pacta inita versus finem praecedentis saeculi, ut cum Dania, anno 1792 a Comite Bernstorffio conditum, quo et commercium et ipsa servitus tollenda sancirentur inde ab anno 1803; pactum cum Suecia, Stockholmiae die 3 Martii 1813, et aliud denuo cum Dania die 14 Januarii 1814 Kiliae inita leguntur; sed praeter bene multa alia in Rosenthalii Dissertatione jam commemorantur, quam ob causam eorum mentio tuto a nobis hoc loco jam potest omitti. Antequam vero ad ipsum Viennensem Congressum transeamus, paucis videndum est de deliberationibus Angliae cum aliis gentibus, quae illum brevi praecesserunt, et primum quidem de Francia videamus.

§ 1. *Francia.*

Cum jam edicto 15 Junii 1814 aula Parisiensis statuisset, se etiam omnem operam adhibituram esse in tollendo Afrorum commercio, in Congressu Viennae habendo, promisit eadem se non amplius commercium illud agi passuram post quinque annos elapsos; sed Anglorum ministris regiis promissio illa parum satisfaciebat. Dux Wellingtonus, ab Anglis anno 1814 Parisios legatus missus, Francico Regi Ludovico XVIII hujus totius rei curam maxime commendavit. Idem die 26 mensis Augusti 1814, a ministro rerum externarum Principe Talleyrando, solemni declaratione postulavit, ut servorum Afrorum commercium plane prohiberetur in locis sitis inter promontorium Album et Formosanum, in Africae littore. Neque hoc Franciae detrimentum afferre posse contendebat, quum re et facto cessaverat commercium illud Francicum in locis memoratis, post legem de hacce re anno 1807 conditam, inprimis post bellum, cujus eventus fuerant ut maxima pars coloniarum Francicarum, cum Senegallia atque Goraea in Anglorum potestatem incidissent. Observabat porro Wellingtonus, post magnam curam datam in erudiendis atque educandis indigenis, contrarium sibi fore Regem Franciae, si iterum ibi in usum revocato Afrorum hominum commercio, horrenda facta renovarentur quae commercium illud solent comitari; necessario etiam omnis indigenarum eruditioni data opera denuo pessum iret (1).

Wellingtonus deinde rogabat, ut utriusque gentis navibus quibusdam bellicis liceret, in certo quodam tractu maris (2) naves utriusque gentis mercatorias suspectas in-

(1) Cf. de Flassan, *Histoire du Congrès de Vienne*, vol. I. p. 254 sqq.

(2) Scilicet «dans le tropique du Nord et à l'Occident jusqu'au 25e «degré du premier méridien de Greenwich.»

spicere easque in quibus servi reperirentur capere et ad judices deducere, etc. Haecce placita ad finem toti isti commercio imponendam tam egregie composita, rata habuit atque confirmavit LUDOVICUS XVIII, ministroque rerum maritimarum FERRANDO exsequenda mandavit, secundum legem latam mense Decembri medio, anni 1814, cujus placita praecipua huc redeunt. Prohibitum est negotium commercium servorum in Africae ripa sita inter promontorium Album et Palmarum. In extraneos et Francicos mercatores qui legem violant, poena scripta ut eorum naves cum servis ad Praesidem Senegalliae abducantur, qui de iis jus dicat. Duabus navibus bellicis ad eandem finem assequendam comparatis, naves suspectas inspiciendi cura mandata fuit. Mercatoribus qui navibus suis sibi servos compararent in locis ubi hocce facere iis liceret, peculiariter commendabatur, eos infelicissimos summa cum cura atque humanitate tractare, scriptis poenis in eos qui contra agerent (1).

Sed proprie parum in re ipsa proficiebatur. Servorum enim mercatus licet jam fere omnis in ripae Africanae partibus lege commemoratis, abolitus esset, tamen a Francis in aliis locis non prohibebatur. Potius vero sanctionem quamdam ei tribuebant (2).

Haecce placita minime sufficere visa esse nobili CASTLEREAGHIO, Anglorum in Viennensem Congressum legato non est quod miremur. CASTLEREAGHIUS jam antequam conventus legatorum ipsius Congressus inciperent, (quod non ante diem 20 m. Januarii 1815 locum obtinuit) omnia conamina intendit ut rem tam humaniter et tanto studio a civibus suis susceptam, laete ad finem adduceret. Sic

(1) Cf. MURHARD, *Nouveaux Supplémens à* DE MARTENS, II. 249.

(2) In art. nempe 15 sive ultimo legis citatae.

die 8 m. Octobris 1814, Principi TALLEYRANDO, Notam quae dicitur obtulit, qua peteret ut Franci jam sine ulla limitatione, eandem quam Angli viam ingrederentur, quo efficacius, junctis duarum harum potentissimarum gentium viribus, commercii abrogatio posset procurari. Ut autem ad haec placita probanda Franciam adduceret, eadem fere proposuit CASTLEREAGHIUS quae obtulisse WELLINGTONI fratrem HENRICUM WELLESLEYUM in Hispania, infra videbimus. Nam promisit, Angliam, vel insulam quamdam in India Occidentali, Francis esse tradituram, vel pecuniam soluturam esse ad indemnes praestandos colonos Francicos, ut omnia damna compensarentur quae coloni fortasse pati debebant si statim ubivis Afrorum commercium aboleretur. Ita enim pactum quod nuper Anglia cura Ducis WELLINGTONI cum Francia iniverat, quodque modo memoravimus, scilicet ne illa abolitio ante quinquennium locum obtineret, abrogaretur.

Conditiones propositas repudiavit vero TALLEYRANDUS, dicens primum etiam alios populos in idem consentire oportere, antequam cum Anglia peculiariter Francia de hoc amplius agere posset, et tempus statutum quinque annorum nunc certe minui minime posse (1).

§ 2. *Hispania.*

Quod ad Hispaniam attinet, HENRICUS WELLESLEYUS legatus Angliae in aula Madritana omnem operam adhibebat ut

(1) Recte de hocce animadvertit egregius auctor Francicus A. DE GASPARIN, in *Esclavage et Traite*, Paris 1838, v. I. p. 251. «La convention «conclue en 1814, contenait une réserve qui exprimait à elle seule et de «la manière la plus éloquente, l'indifférence profonde du gouvernement «d'alors. LOUIS XVIII assurait à ses sujets un délai de cinq années pen- «dant lequel ils pourraient s'approvisionner de Noirs.»

Regem FERDINANDUM VII perduceret, ad placita qualia in Francia fuerant recepta etiam comprobanda. Sed qui rerum regni ab-actis erat DUX DE SAN-CARLOS notavit non eandem esse hic Hispaniae atque Angliae causam: in Anglia jam per viginti fere annos operam navatam fuisse abrogando servorum Afrorum commercio, sed similia in Hispania non praecessisse; nunc ab Hispanis exigi ut statim illud abdicent et plane repudient, quod injuria exigi, quum coloniis Hispanicis, sic gravissima et non reparanda inferrentur damna. Notavit porro, in aliis multis etiam diversam maxime esse Hispaniae atque Angliae causam. In Anglorum coloniis longe majorem esse servorum numerum quam in Hispanicis (1), unde patebat Anglis minime ibi servis recens advectis opus esse ad agros colendos et igitur facilius Anglos invectione servorum Afrorum posse carere quam Hispanos. Petebant his rationibus exhibitis Hispani, ut per certum saltem tempus sibi concederetur servos in colonias suas invehere, ut hae idoneo servorum numero instruerentur. At vero a proposito suo WELLESLEYUS non destitit antequam in pacto Madritano diei 5 Julii 1814, placita occurrerent hujusmodi:

«Rex Hispaniae de injustitia et inhumanitate servorum Afrorum commercii sibi persuasum habens, exemplum Regis Anglici secuturus, consilia se initurum declarat de modis illud plane exstinguendi, ratione habita status coloniarum suarum in America. Simul omnibus suis civibus atque subditis veniam denegabit, de servis emendis et ex Africa in colonias deducendis. Licitum tamen manebit iisdem, tale commercium agere in locis atque coloniis Hispanico ab Rege dependentibus. Simul interdicet usum atque

(1) «La proportion entre les blancs et les noirs dans les colonies Anglaises était de 1 à 20, tandis que dans celles de l'Espagne le nombre «était égal.» Vid. DE FLASSAN, Op. cit., I. 256.

tutelam vexilli Hispanici omnibus extraneis servorum mercatoribus (1).»

Sed alia etiam Angli spectabant et Regi Hispanico ut facilius eum in partes suas traherent, fidejussionem promiserunt pecuniae publicae satis gravis, quam mutuum jam sumserat Hispania. Sed oblata repudiavit FERDINANDUS in litteris missis a Duce DE SAN-CARLOS ad HENRICUM WELLESLEYUM, die 22 Octobris, se obligans tantum ad plane abolendum Afrorum commercium post octo annos elapsos, dum interim juste illud agi posset solum inter Linaeam Aequinoctialem et decimum gradum Septemtrionalem, neque ultra.

Hoc tamen minime Angliae satisfaciebat. Speraverat enim haec, integri commercii praesentem jam interdictionem, quo circa nobilis Anglus BATHURSTIUS, CASTLEREAGHIO in Congressum Viennensem misso, minister rerum externarum in Anglia, respondebat, proposita aulae Madritanae minime Angliae satisfacere, quum sic per octo adhuc annos nefandum illud commercium licitum foret in iis etiam locis in quibus jam diu cessaverat; imo ibi, ubi praecipue conatus Angli adhibuerant ut saltem indigenis ejusmodi commercii agendi horror incuteretur (2).

§ 3. *Portogallia.*

Quod ad Portogalliam attinet, privatim Angliae legatus CASTLEREAGIUS conatus est cum Lusitanis pacta contrahere, quibus efficaciori modo ad bonam speratamque finem servorum commercii abrogatio perduceretur. Portogallia quidem, se semper strenuam propugnatricem hujus com-

(1) Cf. *The foreign slave trade*, London 1837, p. 8 DE FLASSAN, Op. cit., I. 257.

(2) Cf. DE FLASSAN, Op. cit., I. 257.

mercii ostenderat, et quamvis jam pacto in urbe Rio de Janeiro die 19 Februarii 1810 inito (1), promiserat Portogalliae tunc atque Brasiliae Imperans se operam esse adhibiturum simul cum Magnae Brittanniae Rege, ut commercium aboleretur, parum hac in re tamen profectum fuerat. Castlereaghius nunc, ut illud pactum effectum nancisceretur, Viennae die 21 Januarii 1815 cum Portogalliae legatis, Comite Palmella, Antonio de Saldanha da Gama et Joaquimo Loboda Silveira pactum iniit quo in aliis placitis, hoc etiam occurrit; «hocce pactum inservire ad tollendas omnes lites Angliam inter et Portogalliam ortas, de illegitimo Afrorum commercio in iis Africani littoris partibus in quibus commercium illud illicitum declaratum fuerat. Porro Angli 300,000 Libr. Sterl. se soluturos promittunt ut inde indemnes praestentur Portogalli atque Brasilienses mercatores, quorum naves servorum commercium agentes jam Anglicae naves bellicae ceperant, illicitam illam mercaturam ibi etiam existimantes.»

Postero die autem alterum pactum inter eosdem conventum fuit, quo Princeps Portogalliae profitebatur memorem se omnino esse eorum quibus se obstrinxerat ad omnem operam adhibendam una cum Anglia, in abolendo servorum Afrorum commercio. Ita statutum tandem fuit, Portogalliam omne illud commercium vetiturum esse ad Septemtrionem Lineae Aequinoctialis. Universae abolitionis tempus ulterius definiendum declarabant. Caeterum placita habebantur alia, Portogalliae quam maxime faventia, de summa 600,000 Libr. Sterl. quam anno 1809 acceperat commodato. Venia autem dabatur Portogallis ripam Africanam ad Septemtrionem Lineae Aequinoctialis inhabitantibus,

---

(1) Cf. de Martens, *Supplément au Recueil*, I. 245, et *The foreign slave trade*, p. 12.

cum omnibus bonis servisque etiam suis, se conferendi in alium locum quemcunque eligerent (1).

Quamvis haecce placita viderentur egregie promittere futuram commercii hujusce abolitionem, parum tamen iis Portogalliae summus Imperans obsecutus est, ut et infra ex multis pactis sine ullo ad tempus usque nostrum fausto eventu initis, passim videbimus.

§ 4. *Austria, Russia, Borussia.*

Tum vero Castlereaghius se ad tres Principes convertit, qui quamvis ipsi nullum fere damnum neque commodum ex illo commercio sublato aut tolerato essent percepturi, tamen ob magnam in Europae res auctoritatem, in re de qua inter omnes gentes agendum erat, multum valere atque efficere poterant; scilicet ad Russiae, Austriae atque Borussiae Principes. In conventu quem habuit Anglicus legatus, cum ipso Alexandro, Russiae Imperatore, praecipue ostendit causam agi humanitatis, ut ne miseris illis Afris in posterum omnis semper adimatur se ipsos ad humanitatem excolendi occasio. Angliam, addebat, jam cum Hollandia, Dania et Suecia convenisse ut statim, cum Francia vero ut quinque annis elapsis, tale commercium abolendum foret. Cum Hispania atque Portogallia jam diu hac de re actum fuisse, pacta quoque esse inita, quorum tamen minus certa huc usque haberetur fides; sed nulli operae se pepercisse ut haec duo regna et Francia quoque exemplum sequantur, ab Hollandia, Dania, atque Suecia datum.

Anglici legati votis plane consensit Alexander. Promisit,

---

(1) Cf. de Martens, *Suppl.*, VI. 93. Murhard, Op. cit., II. 253. *The foreign slave trade*, p. 12, 13.

se Comiti Nesselrodae, legato suo in Congressum Viennensem, jussa esse daturum ut latius de hoc cum Castlereaghio consilia inirit, et se sperare fore ut Francia citius etiam ad tollendum commercium accederet, quam sinebat statuti temporis ratio. Sperabat quoque ut Hispania atque Portogallia in eodem consentirent.

Caput Secundum.

CONGRESSUS VIENNENSIS.

Huc usque quantum in nobis erat, sed revera breviter, ea retulimus quae Anglia privatim cum Europae gentibus perfecerat immediate ante Congressum Viennensem. In eo enim bene multum de tollendo servorum Afrorum commercio est actum, quamvis populi varii ibi sententiis minus viderentur convenire. Ut ut est, cum difficilius videretur in omnium Europae gentium legatorum coetu, de re disquirere quae tantum paucis cordi erat, Princeps Talleyrandus in concione habita die 10 mensis Decembris 1814 proposuit, ut octo majores Europae gentes, nempe Francia, Anglia, Austria, Russia, Borussia, Suecia, Hispania atque Portogallia (quae maximam in Europae fata exercebant auctoritatem, quaeque primam pacem Parisinam recenter initam subsignaverant) legatos eligerent, qui in concionibus de Afrorum mercatu peculiariter habendis partes agerent et de optimis modis statuerent, quibus populi adigerentur ad tollendum nefarium illud commercium (1).

---

(1) Cf. de Flassan, Op. cit., cap. VI. med.

Quod ad ipsam rem attinet notarunt Comes PALMELLA atque Eques LABRADORUS, Portogalliae atque Hispaniae legati, non esse earum gentium quae nullas ferme colonias possidebant, quarumque idcirco nihil intererat tolleretur commercium nec ne, veluti Russorum, Austriacorum, Borussorum atque Suecorum, de hac re agere; sed potius eos solos in coetum legatos esse eligendos, quorum populi colonias possiderent, in quibus servi Afri ad agros colendos viderentur necessarii (1).

Neque hoc plane immerito notatum videbatur. Gentes quae colonias habebant, melius de re poterant judicare, inprimis quod attinet ad media et tempus ipsam abrogationem exsequendi, cum iis erat cavendum ne coloniis nimium inferretur detrimentum. Sed legati illi aliud etiam spectabant. Satis enim universe erat notum, Austriam, Borussiam, Russiam et Sueciam quae e coetu dimovendae dicerentur, quam maxime favere hac in re Anglorum consiliis. Quatuor illis gentibus remotis, Anglia sola ferme remanebat quae consilia sua adversus Francos, Hispanos atque Portogallos persequeretur. Nam omnino erat credenda Francia potius horum quam illius partibus fautura.

Sed Portogallornm et Hispanorum consilia effectu caruerunt. Declararunt enim gentes reliquae quaestionem esse tam humanitatis quam juris publici; cujuscumque igitur gentis interesse ut res rite exitum habeat. Responderunt quidem illi Congressum minime esse conventum philanthropicum quo de humanitatis institutis disseratur, quia si ita se res habebat, in eo etiam de melioribus recipiendis chirurgiae instrumentis, de institutis ad naufragos servandos comparatis, nec non de variolarum vaccinarum insertione

---

(1) Cf. DE FLASSAN, eod. et KLÜBER, *Acten des Wiener Congresses*, IV. 523.

esset agendum. Sed ridicula illa egregie repulit Castlereaghius (1).

Tandem igitur octo legati electi conciones peculiares de hoc argumento in Congressu habere inceperunt, die 17 m. Januarii 1815. Statim autem declararunt Francia, Hispania atque Portogallia, se minime fore impugnaturas ipsum abolitionis servorum Afrorum commercii principium: attamen illam abolitionem minime festinanter perfici oportere atque ita in Nigrorum favorem sanctissimo dominii juri minime esse nocendum, quod si fieret colonias in India Occidentali brevi esse interituras (2).

In altera concione, die 20 mensis ejusdem, Castlereaghius eleganti oratione, omnia quae jam in hac re Anglia perfecerat in memoriam revocavit, posteaque proposuit ut declaratio ab omnibus Europae gentibus Congressu junctis conficeretur communis, qua profiterentur denuo, seria sua etiam omnis servorum commercii tollendi consilia. Conatus porro est omnibus suadere ut nisi statim, quod forte difficilius foret, attamen brevi, horrendo commercio finem imponerent gentes; ibi autem statim illud aboleretur ubi pactis jam plane vetitum erat.

Ostendit porro abolitionem illam, quum Afros maxima calamitate liberet, neque patriae neque coloniis tanta inferre incommoda atque vulgo crederetur (3). Tranquillitas atque securitas una cum prosperitate publica increverant

---

(1) Cf. Klüber, vol. cit., p. 524.

(2) Cf. de Gasparin, *Esclavage et Traite*, I. p. 232.

(3) Testatur hoc quoque P. A. Dufau, *in Exposé des mesures législatives adoptées dans les colonies Anglaises de* 1788 a 1826, *pour améliorer la condition des esclaves*, in *Revue Encyclopédique*, vol. 45, p. 260 in nota, hisce verbis. «Un fait bien digne de remarque c'est qu'en An-«gleterre lorsqu'il fût question d'abolir la traite, on s'écria que le port de «Liverpool était ruiné, et dix ans après l'abolition, le commerce de Li-«verpool était quatre fois plus considérable qu'auparavant.»

in coloniis in quas nulli amplius novi servi invehebantur. Igitur, ait, illius ipsius securitatis prosperitatisque ergo, cavendum est, ne nimis magnus numerus servorum in coloniis simul adsit. Afferebatur exemplum rebellionis Nigrorum in insula Sancta Domingo, caedisque grandis ibi ab iis commissae.

Porro Castlereaghius ad Franciae legatum se vertit, ab eo petens ut probaret propositam declarationem, et ut renunciaret simul Francia, stipulationi illi de quinque annis per quos ex pacti recentissimi fide liceret Francis commercium nefarium factitare, in repentinam potius consentiret abolitionem.

Ipsis quidem principiis se assentiri declaravit Talleyrandus, existimans jure omnes gentes declarare, se commercium illud tamquam humanitati contrarium aversari; attamen putabat cuique genti liberum esse relinquendum statuere de tempore quo ipsa possit commercium Nigrorum in coloniis suis plane vetare. Quinquennio autem statuto quid detrahi posse plane negavit (1).

Semper igitur Franciae legati constantes remanebant, propositorumque suorum tenacissimi. Nunquam consentire voluit aula Parisiensis, in abolitionem quae statim locum obtineret. Neque mirum. Angli enim ipsi per bene multos annos quaestionem haucce, in Parliamento agitaverant, antequam in servorum mercatus abolitionem consensissent; nunc eâ semel apud se admissa, ab aliis gentibus quid postulabant, quod ipsi nunquam praestiterant, repentinam scilicet commercii inhumani abrogationem. Itaque Angli saepissime inculpati fuerant, quasi non tantum ex humanitatis sensu, verum etiam lucri percipiendi ergo, tantâ cura causam Afrorum in se susceperint. Saepe etiam Angli

(1) Cf. de Flassan, Op. cit., I. 265.

proposuerunt, ut nullas amplius merces Europae populi reciperent ex coloniis ubi servorum commercium licitum habebatur. Sed et hoc in favorem maxime mercaturae Anglicae videbatur exigi. Nam reliquarum gentium coloniae indigentes satis magno numero servorum, quibus agri colerentur, servis novis derepente privatae minores fructus quam antea erant allaturae. Itaque primis profecto temporibus Anglorum fere foret monopolium, quum hi systema coloniale suum jam ita mutassent ut novorum servorum importatione iis non amplius esset opus.

Sane humanitatis studium Anglos ad commercii illius abrogationem inprimis duxit. Sed consilia ejusmodi peculiaria accessisse quis neget? (1).

Hispaniae legatus Eques Labradorus similia notavit atque Talleyrandus. Placita ipsius declarationis omnino probabat, sed cupiebat cuique populo plane liberum relinqui de tempore abolitionis statuere, cum cujuscunque gentis plane diversae res verterentur. Ita v. c. Hispanorum coloniae eo tempore magnum numerum servorum desiderabant, quum proximis annis nulli fere ibi invecti essent ob bella recentissima gravissimaque quae ipsa Hispania gerere coacta fuerat.

Palmella, Portogalliae atque Brasiliae legatus, Imperantis nomine assentiebatur de tempore abrogationis a singulis populis libere definiendo; quum quaeque civitas sola sciret quod tempus huic rei maxime foret idoneum. Fassus est foedere cum Anglia diei 19 Februarii 1810 abolitionem quae paullatim fieret fuisse promissam et huicce promisso Lusitaniae regem profecto obtemperavisse; contendebat commercium optime esse mutatum vectigali constituto Nigro-

(1) Cf. quoque egregia quae de hoc dicit, Vir Cons. S. P. Lipman, *in Geschiedenis van de Staatkunde der voornaamste Mogendheden van Europa, sedert den val van Napoleon tot heden*, Amsterdam 1832, I. p. 88.

rum in Brasiliam invehendorum, secundum decretum editum die 24 Novembris 1813, ex quo non licebat plus quam dimidium numeri servorum, qui caeterum vulgo navibus transportabantur, iis devehere. Causa porro cur diuturnioris commercii necessitas habita fuerat, haec esse dicebatur, quod Anglorum naves bellicae, multas mercatorias Portogallorum quibus circiter duodecim Nigrorum millia veherentur, captaverant, qui si in Brasiliam fuissent invecti, commercium longe citius vetari potuisset (1).

Russiae, Austriae, Borussiae, Sueciaeque legati, cum nulla iis esset idonea ratio, cur hominum commercium tuerentur, propositis Castlereaghii quam maxime se assentiri sunt fassi, quod ipsum etiam jam antea ab iis fuerat declaratum.

Parum revera cuncta haecce Castlereaghii legati votis respondebant. Necessitati verum erat parendum atque ita omnium consensu conficienda decreta est declaratio, qua omnium gentium de commercio Afrorum tollendo consilia palam significarentur (2).

Neque a proposito tamen destitit Castlereaghius. Impetraverat ut omnes gentes in eo consentirent, commercium tamquam infame inhumanumque esse tollendum. Sed insuper impetrare nunc iterum est conatus ut certum tempus idque brevissimum statueretur, quo impediretur strenue commercium. Mira tenacitate igitur iterum rogavit abolitionem immediatam, iterumque primo Principis Talleyrandi assensum sibi parare aggressus est.

Sed quod saepius negatum fuerat, denuo negavit aulae Parisiensis interpres. Negavit a pacto quo quinque annis elapsis commercium tollendum esset, quod pactum omni-

---

(1) Cf. Klüber, *Acten des Wiener Congresses*, IV. 526.

(2) Cf. Lipman, Op. cit., I. 86, et de Flassan, Op. cit., I. c. VI. med.

modo ab Anglia ipsa fuerat comprobatum, Regem Franciae recedere posse, cum ita coloniae sine dubio essent interiturae. Quod ad tempus quoddam medium, trium scilicet annorum, ab Anglis propositum, respondit TALLEYRANDUS hocce pendere a causis peculiaribus, quae ante difficulter poterant definiri; idcirco se in quinquennii diminutionem jam nunc certe consentire non posse.

Similia quum ab Hispanis quoque exigeret CASTLEREAGHIUS, responderunt hi Regem Hispaniae pacto inito cum Magna Brittannia, se obstrinxisse, ad omnia facienda quibus commercium tollatur aliquando, quum hoc fieri possit salva coloniarum prosperitate. Jam huic pacto Regem stare; consilia inita esse cum viris principibus plerarumque coloniarum inprimis in insulis Cuba et Porto Rico; sed ita patuisse Nigrorum servorum commercium, nec ilico, nec etiam nimis brevi tempore interjecto, sine gravissimo damno imo interitu coloniarum tolli non posse. Tempus tamen omnium maximum per quod servorum commercium agendum etiam foret, octo fore annorum declarabat. Porro Rex Hispaniae nunquam veniam extraneis mercatoribus concessurus erat utendi vexillo Hispanico, neque suis mercatoribus permitteret servos vendere in coloniis exterorum imperio subjectis.

Pertinacia qua Hispania se Angliae conatibus opponebat, reliquos legatos, Portogallico excepto, incitavit ut ab Equite Hispanico peterent operam intendere in deprecando breviore temporis lapsu a Rege suo. Portogalliae legatus autem rationes multas attulit ad probandum, quod ad suam regionem attinet, Brasiliae ergo, Afrorum commercii finem statui non posse, ante octo annos: tunc tamen illud revera habitum iri illicitum atque Regem reos summa severitate persecuturum promittebat. (At videbimus postea quousque illi octo anni fuerint extensi, cum adhuc tempore nostro perdurent.)

In tertia concione quae die 28 ejusdem mensis obtinuit, dixit Castlereaghius de sublato servorum commercio in ea Africae parte ad quam Anglorum cura initis pactis se extenderat. Anglia scilicet, quae belli recentissime gesti opportunitate, omnes in littore Africano colonias sibi subjecerat ad Septemtrionem Aequinoctialis Lineae (iis vero exceptis quae ad Portogalliam pertinebant), incolas earum regionum ab istius commercii peste liberaverat, quod tantum ei regioni profuerat, ut merces exportationis ex iis locis, quae ante abolitionem fuerant 60,000 Libr. Sterl. post eam ad Libr. Sterl. 1,000,000 usque crevissent. Porro incolae ad terram colendam aptissimos se probabant, atque egregie refellebant quae de eorum stupiditate et cum bestiis similitudine dicta fuerant (1). Castlereaghius igitur ut cum illi Afri beneficio libertatis gaudere pergerent, petiit tum ut aliae gentes etiam ibi saltem ab horrenda mercatura se abstinerent. Hisce auditis legatus Francicus respondit Regem suum jam istud commercium vetasse in tota Africana ripa inter promontorium Album et promontorium Palmarum. Institit vero Castlereaghius latius hocce beneficium esse extendendum, ad totum nempe littus ad Septemtrionem Lineae Aequinoctialis, quia ita facilius custodia, sive ut ipsius verbis utamur, disciplina (la police) maritima exerceri poterat.

Quid vero hisce verbis sibi vellet, a mirante Talleyrando rogatus, hanc inquit esse custodiam, quam quisque populus cum in suas, tum foederum vi atque auctoritate in mare et in quascunque naves exercet navigantes. Sed ei dicto Princeps Talleyrandus et Comes Palmella vehe-

(1) Hujusmodi ridicula leguntur in libro inscripto *Examen de l'Esclavage en général et particulièrement de l'Esclavage des Nègres dans les colonies Françaises de l'Amérique* par V. D. C. *ancien avocat et colon à St. Domingue*, 2 vol. in 8°., Paris an XI: inprimis vol. 1.

menter obstiterunt, se nullam custodiam maritimam agnoscere professi, nisi eam quam quisque populus in suas solas naves exercet. Anglorum vera consilia fuerant, legatis suadere ut reciperent in pactis jus naves quascunque inspiciendi, cui in Congressu Veronensi ut videbimus infra, Châteaubriandus vehementer se opposuit, licet in multis pactis receptum fuerit.

Hispaniae legatus Labradorus professus est Regem suum statim ubique commercium servorum subditis suis esse vetiturum, praeterquam in littoris parte inter Lineam Aequinoctialem et decimum gradum latitudinis Septemtrionalis. Mirabile revera placitum, quod propositis Angliae ejusque conatibus ad eam Africae partem inprimis evehendam, plane erat contrarium. Restitit itaque Castlereaghius, atque tandem fassus etiam est Labradorus se cogitare in epistolam Regis sui mendum irrepsisse, atque promisit se latiorem hujusce placiti explicationem a Rege suo esse petiturum.

Dum de hac re ageretur, extra locos memoratos tamen commercium minime vetiturus erat Rex Ferdinandus. Ostendebant Hispani plane aliam causam agi in Hispania quam in Anglia. In Parliamento Anglico, ab anno 1788 ad annum 1807, per viginti annos igitur, lis fuerat agitata de Afrorum servorum commercio tollendo. Intra hoc temporis spatium, domini plantationum satis annorum habuerant quibus majorem numerum servorum, quam quo proprie erat opus, emerant, ita ut etiam per multos insequentes annos, novis invectis servis facile possent carere. In sola insula Jamaica ubi anno 1787, 250,000 servi aderant, eorum turba anno 1808 ad 400,000 usque excreverat, ita ut ex undecim inhabitantibus, decem servi nigri essent; longe aliter certe quam in insula Cuba, Hispaniae subjecta, ubi (quamvis servorum esset ditissima prae aliis

omnibus coloniis) numerus Alborum aderat 274,000 cum non amplius quam 212,000 Nigri in ea adessent (1).

Quartus conventus habitus fuit mensis Februarii die tertio. Castlereaghius denuo exposuit quousque jam cum Francia, Portogallia atque Hispania res ipsi processisset. Omnino gaudebat has omnes regiones consensisse, in abolitionem absolutam commercii Nigrorum, uti ipse primus proposuerat, ad Septemtrionem scilicet Lineae. Porro duo alia consilia conventui obtulit hujusmodi:

1°. Ut gentes Europaeae omnes inter se invicem pactum inirent, quo partim illegitimum servorum commercium vetaretur, partim cujuscumque gentis jura immunia servarentur ab omni vi, quam naves armatae alterius populi fortasse inferre possent.

2°. Ut omnes ministri Londini atque Parisiis agniti et recepti invitarentur ad cunctim de hisce rebus agendum: et ut quoquo anno relatio conficeretur de conditione servorum Afrorum commercii atque de ejus abolitionis progressibus.

Posterius autem hocce placitum Hispanico legato minus placuit, qui contenderet totum hoc negotium esse cujuscunque regionis peculiare, atque ita minime legatorum Congressum decere de hac re aliquid statuere, cum in Congressu non agendum sit, de ordinandis juribus populi privatis, neque de quaestionibus moralibus et humanitatis posse disputari. Ipse quidem in Viennensis Congressus de hac re conventionibus adesse profitebatur, ut gentibus abrogationem cupientibus obsequeretur. Sed non credebat Regem suum participem fieri velle alius hujuscemodi Congressus sive Londinensis, sive Parisiensis, eo magis quod in coloniis suis Americanis veniam dederat invehendi servos per octo sequentes annos.

---

(1) Cf. de Flassan, Op. Cit., I. 265, et Klüber, Op. cit., IV. 528.

Ut exspectabatur, Anglici legati consiliis iterum assenserunt Metternichius, Nesselrodius et Humboldus, etiam quod ad Congressum Londini aut Parisiis habendum quo res ulterius perficeretur, ne forte fortuna quaestio ipsa in oblivionem incideret, atque sic omnes laudabiles conatus Afrorum conditionem ex humanitatis consiliis emendandi exitu destituerentur. Sed nihil sic peractum, cum caeteri votis Anglorum non accederent.

Tum egit Castlereaghius de modis quibus quaeque civitas cogeretur ad tollendum Afrorum commercium si forte adversus legum atque pactorum fidem, illud tolerasset per tempus longius quam coloniis necessarium vel cum aliis populi statutum fuerat. Tanquam optimum coactionis remedium commendavit ut merces coloniarum solum ex iis admitterentur ubi esset servorum importatio impedita, vel ubi agri a liberis indigenis colerentur. De re ipsa supra jam vidimus quum animadverteremus, quomodo sic inprimis consuleretur prosperitati coloniarum Anglicarum, ubi jam tunc novi servi non invehebantur, vel Indiae Anglicae ubi proprio sumtu indigenae terram colunt.

Neque hoc latuit Hispaniae ac Portogalliae legatos, quorum causae in toto hoc negotio adeo arcte junctae erant. Repudiavit Palmella conditionem propositam tanquam contrariam libertati singularum civitatum, quae sic cogerentur ad suarum coloniarum mercaturae damnum inferendum plane irreparabile. Imo Hispaniae legatus minabatur, regem suum repressalias justas exerciturum esse contra ejusmodi civitatem, prohibendo in regione sua commercium omnium earum rerum, quarum importatio atque evectio populo illi summum lucrum afferebat.

Metternichius Princeps, Austriae legatus, cuique genti jus esse profitebatur prohibendi hanc vel illam mercaturae speciem, neque jus repressaliarum exercendarum negabat.

Unicuique populo etiam liberum censebat statuere utrum vellet nec ne per paucos annos quaedam damna pati; sed hoc ipsum inprimis si nobilis cujusdam propositi attingendi gratiâ foret, merito fieri, et idcirco se Anglici legati sententiae non adversari fassus est.

In eandem sententiam ibat Nesselrodius; attamen se sperare significavit fore ut res nunquam in eum casum incideret, quem Hispaniae Portogalliaeque legati indicaverant, ne nova discordiarum atque inimicitiarum causa inter populos oriretur. Assenserunt quoque Borussiae ac Sueciae legati, quos omnes facile Anglorum consilia probare potuisse, supra jam indicavimus.

Ut ut est, die 3 Februarii 1815 Portogalliae legatus conventui Notam diplomaticam obtulit, qua, postquam in memoriam revocata fuerat promissa servorum Afrorum commercii abrogatio, post octo annos insequentes elapsos, tamen ab Anglis exigebant Portogalli, ut probarent mutationes in pactis mercatoriis antea jam propositas, quia abrogatio memorata plane aliud systema commerciale in Portogalliam ejusque colonias esset inductura. Eadem opportunitate Rex Portogalliae jus repressalias exercendi strenue sibi vindicabat. Sed hasce leges Castlereaghius plane repudiavit (1).

Ultimus denique conventus legatorum, ad hanc rem tractandam in Viennensi Congressu constitutorum, habitus fuit die 8 mensis Februarii, atque in illo decreta fuit solennis declaratio, qua populi universe testarentur summam a turpi isto hominum commercio aversationem (2).

Nulli autem in specie indicabantur quibus mercatura

---

(1) Cf. de Flassan, *Histoire du Congrès de Vienne*, I. 258 sqq.

(2) Cum haecce declaratio tanquam principium sublati Afrorum commercii ab omnibus fere populis cultioribus, revera, quae integra in dissertatione nostra recipiatur, dignissima sit, eam retulimus in Appendice

illa plane tolleretur modi: nullo tempore statuto, nullis mediis propositis, quibus populi abolitioni faventes, aliam gentem huicce resistentem ad exsequenda humanitatis consilia cogere possent. Cuique liberum relinquebatur istud commercium per tempus quod placeret, exercere. Hispani Portogalli et Franci vero eligere debebant, utrum vellent Nigris favendo vero similiter coloniarum suarum delere prosperitatem, utrum malo aliquantulum tolerato, statum coloniarum eo adducere, ut in posterum Nigris carere novis possent. Neque Anglia tantum humanitatis, sed etiam lucri causa ad consilia sua adducta videbatur.

Ut ut est, tota declaratio solum profitebatur omnes populos ab Afrorum servorum commercio abhorrere, eosque id in posterum esse vetituros.

Sed cum in solenni testificatione illa declaravissent, pactis peculiaribus se de hoc acturas esse, videndum jam nobis est quid in his peractum sit.

---

littera A, ex auctoritate scriptorum DE MARTENS, *Suppl. au Rec.*, VI. 432, atque KLÜBER, *Acten des Wiener Congresses*, IV. 531.

Caput Tertium.

DE IIS QUAE DE ARGUMENTO NOSTRO PORRO ANTE CONGRESSUM VERONENSEM LOCUM OBTINUERUNT.

Paullo postquam pax in Europa esset restituta, atque gentes fere cunctae, partim bellis gravissimis, partim tyranni Napoleontis oppressione defessae, credidissent nunc saltem se gavisuras diuturna pace, invasor Napoleon ex insula Elba redux tranquillitatem Europae vehementer denuo conquassavit. Sed eo post brevissimum centum dierum regnum iterum remoto, pax stabilita est pacto Parisino altero diei 20 m. Novembris 1815. In illo paululum quoque de tollendo Afrorum commercio dictum est expresse.

Profecto jam die 26 Septembris ejusdem anni pactum celeberrimum initum fuerat inter Imperatorem Russiae Alexandrum, Austriae Franciscum, Regemque Borussiae Fredericum Guilielmum, Sanctum Foedus dictum, quo, ut disertus de argumento nostro scriptor ait (1): «ex principiis «religionis Christianae sese cuncta administraturos coram «omni orbe terrarum promiserunt.» (2). Exspectare etiam possimus Christianae illa religionis principia, sponte ad

(1) Vir. Cons. Nedermeijer van Rosenthal, *in Dissertatione citata*, p. ult.
(2) Cf. Lipman, Op. cit., I. 369. sq., et de Martens, *Suppl.*, VI. 656.

evertendum valitura fuisse commercium horrendum, illis ipsis principiis adeo contrarium. Sed quae postea locum obtinuerunt satis ostendunt parum haecce effecisse.

In pace autem hacce Parisina, declaratio denuo occurrit maxime Angliae cura composita, (quae ita unius anni spatio rem duobus legatorum Congressibus examinandam subjecit) quaeque huc redit:

«Imperantes pacem contrahentes cum revera cupiant ut «aliquos effectus consilia in Congressu Viennensi recepta «gignant, quod ad totam atque universam Afrorum ser-«vorum commercii abolitionem, quod jam singuli in regno «suo nulla exceptione habita prohibuerunt, mutuo sibi fidem «dant ad omnem denuo operam intendendam, qua felix «successus votorum jam in declaratione diei 8 m. Februarii «1815 enunciatorum sanciatur, et ad consilia vel Londini «vel Parisiis quanto citius instituenda, de modis efficacis-«simis, quo horrendum commercium si fieri poterit, sta-«tim ubivis tollatur.» (1).

Revera in hacce declaratione longe alia viget sententia quam in declaratione Congressus Viennensis, cum per hancce omnibus gentibus liberum relinqueretur, statuere tempus quo vellent ut universa abolitio locum obtineret: aliudque longe in illa viget consilium. Profecto in Viennensi Congressu, Hispaniae atque Portogalliae aderant legati, qui commercio se semper faventes praestiterant; pacem Parisinam vero soli Angliae, Russiae, Borussiae, Austriae atque Franciae legati contraxerunt. Sed neque haec declaratio effecit unquam ut Parisiis aut Londini communes de hoc negotio deliberationes habitae fuerint, et omnia fere quae ad tempus usque nostrum hac in re fuerunt peracta, soli Anglorum curae debentur.

---

(1) Cf. de Martens, *Suppl.*, VI. 690.

Quod ut rite perspiciamus, quemque populum inde a pace Parisina altera anni 1815, ad Congressum Veronensem, de hoc etiam argumento anno 1822 habitum, singulatim spectabimus, Anglia sola excepta, ut attendamus quid singuli hac in re perfecerint. De Anglia autem non est quod peculiariter dicamus, quum ejus conatus atque proposita in hujusce argumenti historia, sint apud universas gentes perspicua. Anglis scilicet ipsis in sua regione vix quidquam amplius hac in re peragendum restabat. Saepe quidem Franci et inprimis Richelius minister, incusaverunt Anglos, quod in eorum regione etiam non deëssent, qui commercio Nigrorum factitando lucrum sibi comparabant. Sed dicta non probabantur. Merito itaque Angli se ad alios populos converterunt. Nam multum erat timendum ne caeterae gentes lucrosum commercium tollendi parum cupidae, rem essent neglecturae, atque flagitiosa mercatura in humanitatis summum dedecus novas vires esset acceptura. Ad praeclara haec consilia persequenda jam ab anno inde 1806, Societas Londinensis (1) egregie valuit, quae et deinde omni diligentiâ munere suo semper functa est.

§ 1. *Portogallia.*

Effectu carentibus Angliae conatibus ut Portogallorum animus ab horrendo commercio foret aversatus, aula Londinensis propositorum tenacissima, ministro Castlereaghio curam mandavit pacti novi de hac re ineundi, quod et revera post multas deliberationes die 28 m. Julii 1817, Londini contractum fuit. Parum novi foedus hoc continebat sed potius sequela erat seu confirmatio pacti recentissimi diei nempe 22 Januarii 1815 (2). Accuratius tan-

(1) Videatur de hacce Societate Nedermeijer van Rosenthal, *Diss. Cit.*, pag. 214.

(2) De quo supra, pag. 7.

tum definita sunt loca ubi a commercio Nigrorum factitando Portogallis esset abstinendum. Illicitum autem declaratum est illud commercium si ageretur:

1° Navibus Brittannicis atque vexillo Brittannico sive a civibus Brittannicis, sive ab exteris.

2° Navibus Portogallicis in locis littoris Africae prohibitis art. 1° pacti 22 Januarii 1815 i. e. ad Septemtrionem Lineae Aequinoctialis (1).

3° Vexillo Brittannico aut Portogallico a subditis cujus cunque alius civitatis.

4° Navibus Portogallicis vela facientibus ad portum non situm in regionibus Regi Portogallico subditis.

Venia dabatur Portogallis commercium istud exercendi in littore Africano ad meridiem Lineae, a quinto, usque ad decimum octavum gradum latitudinis Meridionalis. Porro se obstrinxit Lusitaniae Rex ad legem ferendam intra duos menses post pactum ratum habitum, qua statim prohibendi erant cives servorum commercium agere aliis modis aut locis, quam ubi nunc pacto licitum esse declaratum esset, poenis scriptis in eos qui haecce placita transgrederentur. Deinde jure perquisitionis admisso, venia dabatur navibus bellicis utriusque gentis inspiciendi utriusque naves mercatorias, quae crederentur illicitum agere commercium. Si revera tale servorum commercium agere deprehendebantur, naves erant deducendae, ut de iis judicaretur in tribunalibus hunc in finem constitutis. Sequebantur in fine pacti longiora placita continentia magis amplam explicationem eorum quae significavimus. Angli autem se obstringebant denuo ad solvendam summam 300,000 Libr. Sterl. ad colonos indemnes praestandos (2).

---

(1) Cf. de Martens, *Suppl.*, VI. 99.

(2) Pactum hocce legitur apud de Martens, *Suppl.*, VIII. 438. Murhard, Op. cit., II. 278. *The foreign slave trade*, p. 13.

Paullo post die nempe 11 Septembris conventio fuit addita qua cautum, pacta mercatoria antiqua ex mutato rerum statu etiam mutanda esse, quam primum Portogallia servorum commercium abrogaverit. Caeterum si nihil mutaretur conventio mense Julii 1817 inita, pleno gauderet effectu per 15 annos, a die inde ubivis a Portogallis sublati commercii (1).

Pactum ratum habitum fuit die 28 Novembris 1817 atque ita ex articulo ejus tertio, ante diem 28 Januarii 1818, lex prohibitiva a Lusitaniae Rege lata esse debuerat. Promulgata revera fuit in primaria Brasiliensis imperii urbe Rio de Janeiro, diem prae se ferens inscriptum 26 m. Januarii 1818 (quamvis idoneae causae adsint credendi, illam revera non ante mensem Februarium insequentem medium latam fuisse). Lex erat satis severa. Prohibebat commercium servorum Afrorum in Africae Septemtrionali parte; exilium et mulctas tanquam poenas scribebat reorum; navium etiam suspectarum per bellicas sancibat inspectionem, simul negans aditum in Brasiliae portus navibus extraneis, quibus novi servi inveherentur (2).

Profecto haecce lex, si fideliter executioni fuisset mandata, egregie valuisset ad reprimendum illicitum commercium a Portogallis actum. Sierram Leonam etiam e Brasilia missi fuerunt legati, qui de navibus captis judicarent. Multae naves fuere prope Africam perquisitae, recteque deductae: attamen quamvis fraus omnino evidens esset, a Brasiliensibus legatis, saepenumero earum duces a poëna vacui dimissi fuerunt.

Portogallorum illa agendi ratio eo valuit, ut in Congressu qui anno 1818 Aquis Granensibus habitus fuit, Europae

---

(1) Cf. *The foreign slave trade*, p. 13.

(2) Cf. Murhard, Op. cit., II. 356, et *de l'Etat Actuel de la Traite des Noirs*, Londres 1821, p. 40 sqq.

civitates quae in illum legatos miserant, communi nomine, Lusitaniae Regem deprecatae fuerint iterum, ut sincere consentiret in universam Nigrorum commercii abolitionem, edictaque de hac re in suis regionibus promulgaret et exsequeretur. Portogalliae legatus quidem, omni qua poterat opera conatus est refellere ea quae Magnae Brittanniae inprimis legatus, de tollendo commercio profitebatur (1). Attamen a principibus in Congressum junctis legatis revera die 21 m. Augusti 1819 petitio Regi fuit decreta et oblata, cui vero obtemperare hic recusavit, dicens se jam satis huc usque fecisse, se non posse derepente systema coloniarum mutare, seque nihil jam ulterius promittere posse nisi ut ad abrogationem universam sensim sensimque accedatur, quum ipsum commercium proximis annis multum jam esset imminutum.

Sane egregie hoc pugnabat cum iis quae eodem anno Anglus CHAMBERLAINUS, commercii Afrorum quasi inspector communicaverat: scilicet nunquam huc usque tantum fuisse servorum commercium a Portogallos actum, quantum tunc erat: a die 1 Januarii inde, ad diem 31 Decembris 1818, in solum portum urbis Rio de Janeiro 19,802 servos invectos fuisse, dum anno praecedenti jam hicce numerus ad 18,000 crevisset. Circiter 2,500 diem obierant supremum in navibus quibus veherentur (2). Et hoc de sola illa urbe; quid si et de aliis vera proferrentur?

Mira crudelitate atque inhumanitate sic commercium vigere perrexit, neque leges latae aliquid profecerunt.

§ 2. *Hispania.*

Eodem tempore quo ita strenue Angli, Afrorum causam in se majori cura suscipientes, omnia media intendebant,

(1) Cf. *The foreign slave trade*, p. 13.

(2) Relatio illa refertur in *de l'Etat Actuel*, etc. p. 39.

quibus Lusitani ad exsequendum humanitatis sensum adigerentur, ad idem propositum apud Hispanos assequendum, omnibus suis utebantur viribus. Madritum scilicet legatus missus Henricus Wellesleyus, qui jam antea in eadem regione eodem fuerat functus munere, cui praecipae cura etiam hujus negotii commissa erat, post longas controversias iniit pactum cum Hispanico ministro Josepho Garcia de Leon y Pizarro die 23 m. Septembris 1817. Placita, nullis fere exceptis, plane eadem erant atque ea quae continebantur pacto cum Portogallia diei 28 Julii ejusdem anni (1). Tempus universae abolitionis statuebatur dies penultimus mensis Maji 1820, additis tamen quinque mensibus in gratiam navium quae nondum iter suum perfecissent. Rex Magnae Brittanniae se promisso obstringebat ad solvendam summam 400,000 Libr. Sterl. die 20 Februarii 1818, ad reparanda damna quae ex abolitione cives Hispanici forte percepturi erant. Omnia alia placita, plane ad eadem quae in pacto cum Portogalliae recentissimo redibant (2).

Secundum placita hujus foederis, Rex Ferdinandus mense Decembri ejusdem anni 1817, legem promulgavit qua civibus Hispanicis atque colonis Hispaniae subditis, venia negabatur agendi commercium servorum Afrorum in Africae partibus, ad Lineae Aequinoctialis Septemtrionem (quo error etiam reddebatur manifestus, quem in proposito ab Hispanico legato in Congressu Viennensi sibi oblato, Anglicus minister deprehenderat (3)).

Porro omnes Nigri qui post hanc legem promulgatam, a die inde 22 Maji 1818 reperirentur ibi emti, statim in

(1) Videantur illa placita, p. 25 sqq.

(2) Cf. de Martens, *Suppl.*, VIII. 492. Murhard, Op. cit., II. 300. *The foreign slave trade*, p. 8.

(3) Videatur supra, pag. 18.

libertatem vindicandi erant. Naves quibus in locis prohibitis illud commercium ageretur, atque omnes merces in iis repertae, habebantur publicandae, cedebant regio thesauro atque dux navis ejusque gubernator per tempus decem annorum in insulas Philippicas in exilium erant mittendi. A die inde 30 Maji 1820 (additis tamen ut ex pacto patet, quinque mensibus in gratiam adhuc navigantium navium) plane et ubivis coërcendum foret servorum commercium, poenis severissimis supra citatis. Et quod in Hispanicis, idem juris foret in extraneis navibus quae servos conarentur in colonias invehere (1).

Videndum nunc nobis erit, utrum revera haecce lex efficacitatem quamdam obtinuerit nec ne. Pacto diei 23 mensis Septembris 1817 statutum fuerat ut legati utriusque populi in Havanam atque Sierram Leonam mitterentur, qui de reis judicarent. Magnas post controversias quibus placitum hocce ansam praebuerat, legati tandem missi fuere, atque sic jure simul inspectionis admisso, Angli naves in fraudulento commercio deprehensas ad judices sedulo deduxerunt. Neque frustra; nam tribus annis insequentibus novem Hispanicae naves captae memorantur. Sed in Americae regionibus universe Hispaniae subjectis res parum tamen profecit. Naves quae servos invehendos ex Africa deduxerant paululum longiore itinere facto illos locos prope Americae portus vitabant, ubi timendum sibi erat ne a navibus Anglicis ad hoc armatis deprehenderentur; atque ita non in portum Havanae urbis, verum in alium ejus insulae locum minorem atque magis reconditum vela faciebant, exque illo servos in insulam importabant. Profecto facile fuisset negotium hocce impedire si Hispanici magistratus rem satis cordi habuissent. Sed

(1) Integra lex invenitur in *Etat Actuel*, etc. p. 27.

huicce et pactorum et legum violationi clam favebant, quocirca Anglicus legatus Kilbius declaravit, se in posterum hocce tanquam illicitum omni modo fore vindicaturum.

Ut ut est, et illa facta, et praesertim invectio servorum in Havanam insulam etiam navibus peregrino vexillo vectis, inprimis Suecico, iterum Castlereaghium incitarunt ut Wellesleyum qui adhuc Madriti degebat, moneret, urgere executionem foederum.

Hispani quidem conati sunt ab Anglis tempus longius quam quinque mensium, quod concessum fuerat, impetrare. Respondit vero Castlereaghius indignum hoc esse fide quam caeterum Hispani in pactorum placitis exsequendis observabant. Attamen et hoc monitum effectu destitutum fuit, etiam per Societatis Londinensis negligentiam, quae non curaverat ut naves inspectoriae prope Havanam adessent. Res igitur in eodem statu quo antea manserunt, neque ante Congressum Veronensem aliquid amplius de hoc argumento statutum est (1).

§ 3. *Francia.*

Declaratio Congressus Viennensis primos genuit in Francia effectus. Ludovicus XVIII enim (quamvis Franci timerent ne abrogatio servorum Afrorum commercii maxima damna coloniis suis afferret, quum, sublata plane omni servorum invectione, vix reperirentur qui agros colerent mercede conducti), ut videretur summo odio istud habere commercium et pro viribus secundum foederum fidem ad ejus abrogationem tendere, die jam 29 m. Martii 1815 et brevi igitur tempore post Viennensis Congressus declarationem, edictum promulgavit quo publicatio scriberetur poena in

(1) Cf. *Etat Actuel*, p. 24 sqq.

omnem navem, quae servorum commercium facere deprehenderetur; dum navis magistro in perpetuum navi praeësse interdiceretur (1).

In illa lege igitur nulla mentio occurrebat statuti temporis quinque annorum, quod TALLEYRANDUS tam vehementer paullo ante tuitus fuerat. Certe magis ita Anglorum consiliis faventem se praestitit jam aula Parisiensis (2).

Rex LUDOVICUS tamen, recenter in regnum restitutus, extemplo denuo ab imperio plane dejectus fuit. Imperator NAPOLEON jam lege anni 1802 servorum commercio se favere fuerat professus, hanc rem servandam esse monens eodem statu quo fuerat anno 1789, aucto simul praemio usque ad 150 Franc., solvendo Nigrorum mercatoribus pro quoque servo recenter invecto vel post hac invehendo (3). Attamen cum per centum dies denuo Imperatoris partes ageret, ut significaret se ad praecipuarum Europae gentium consilia probanda paratum esse, statim et extemplo omnem vetuit servorum mercaturam (4). Jam denuo tamen ope sociorum in regnum restauratus, legitimus e Borbonica stirpe Imperans, in iis quae de Afrorum commercio nuper fuerant probata facilem se praebuit. Principem TALLEYRANDUM jussit LUDOVICUS XVIII indicare ministerio Anglico, se legem tulisse de statim atque ubivis tollendo Afrorum servorum commercio, et haec est quam jam memoravimus pagina praecedenti.

At vero, si exitum spectemus, effectu fere fuit destituta

---

(1) Commemoratur haecce lex in GARNIER et CHANOINE, *Lois d'Instruction Criminelle et Pénale*, III. p. 1308, nota 2.

(2) Injuria igitur dicitur in *The foreign slave trade*, p. 6. «Nothing «more however at that time was to be obtained from LOUIS XVIII,» cum repentinam Afrorum servorum commercii abolitionem ita Rex statuebat.

(3) Cf. DE GASPARIN, Op. cit., I. 228.

(4) Cf. DE GASPARIN, Op. cit., I. 232, et *The foreign slave trade*, p. 6.

lex illa. Ad finem enim vergente anno 1816, Anglorum Parisiis legatus Carolus Stuartus, facta bene multa plane legi contraria, quae tamen poenâ vacarent, comiti Richelio Francico ministro significavit. Mense Octobri, item Novembri illius ipsius anni, magna servorum copia in insulas Martinicam et Guadeloupen invecta fuerat (1); quod Anglicae naves bellicae quamvis omnino perspicientes minime impedire potuerant, jure naves inspiciendi inter Anglos et Francos non recepto. Addiderant consules Anglici in Hispania, saepissime in hujus regionis portus Francicas naves vela facere solere, ut fallaciâ atque dolo a magistratibus Hispanicis declarationes obtineant, secundum quas servorum mercaturam agere juste possent veluti Hispanicae.

Franci quidem responderunt se non omnia arcere posse, quae privati forte nonnulli contra legem gererent, et ita quidem haud dubie Anglos deprehendi posse condemnandos ob idem facinus, si Franciae magistratus eandem strenuam investigationem adhibebant in Anglorum mercaturam quam Angli in Francorum illam. Attamen eodem fere tempore Rex Francicus, decreto diei 8 m. Februarii 1817 (2), confirmavit decretum diei 29 Martii 1815, quod factum summis laudibus celebratum fuit (3). Alii vero dissentiebant neque injuria ut videtur. Quo enim leges haecce tam saepe repetitiae atque tam saepe emendatae inservierint, videbimus.

Mirâ curâ Angli, quibus harum rerum pervestigatio com—

(1) Cf. *Etat Actuel*, etc. p. 75.

(2) Cf. Garnier et Chanoine, Op. cit., III. p. 1308.

(3) Inprimis a Francico ministro rebus maritimis praeposito, du Bouchage, qui profitebatur «qu'il regardait comme inutiles de nouvelles «garanties des soins que prend le Gouvernement Français pour proscrire «dans les possessions du Roi, le commerce des esclaves. Cet acte de «l'autorité royale doit désormais prévenir toute réclamation.» Referuntur haecce laudes in *Etat Actuel*, p. 76, nota.

missa erat, omnes Francorum violationes notare atque RICHELIO significare perrexerunt, quo factum, ut non amplius ita plane repudiari potuerint Anglorum quelerae ut ex epistola legati STUARTI diei 29 m. Januarii 1818 patet (1).

Die 4 Februarii ejusdem anni CASTLEREAGHIUS specimen pacti novi ineundi Francico ministro obtulit, continens praecipue placita de jure naves investigandi tanquam optimo commercii illius coërcendi medio, in quam rem etiam pactis recenter ab Anglia cum Portogallia, Hispania atque Hollandia initis, partes consenserant. At jus pervestigationis, licet optime a CASTLEREAGHIO defensum, Franci repudiare perrexerunt.

Lex promulgata die 8 m. Januarii 1817 ultima erat igitur, quae nefarium commercium in Francicis coloniis vetare videretur. Parum ita profecerant Angli, cum invectio servorum in colonias Francicas quidem sic prohiberetur, attamen in Francicos mercatores poenae nullae scriberentur, si vexillo peregrino usi, id commercium in aliis regionibus exercerent. Multae naves Francicae tute vexillo Hispanico commercium servorum Afrorum agebant, et multae aliae in Francia armatae locabantur mercatoribus Hispanicis. Angli igitur petebant ut plane hominum commercium a Francis coërceretur novis legibus strenue executioni mandatis.

Iis petitionibus obsecutus Rex Franciae die 15 Aprilis 1818, statuit poenam publicationis in quamvis rationem, qua Francorum naves vel navium magistri hoc commercium agerent (2). Sed haec lex Angliae votis minus respondebat. Observavit STUARTUS legatus, poenas nimis esse leves ut earum etiam strenua applicatione (quae ex

(1) Cf. *Etat Actuel*, p. 78.

(2) Vid. GARNIER et CHANOINE, Op. cit. III. 1342, et A. DE GASPARIN. Op. cit. I. 233.

iis, quae admissa fuerant tamen exspectari facile haud poterat), Franci a commercio absterrerentur: illas etiam minime cum poenis Anglicarum legum posse aequiparari, quibus nempe deportatio per quatuordecim annos in insulam Botany-Bay, atque etiam carceris poena in socios nauticos statutae erant, quae placita revera in Anglia ad eventum duxerant omnino faustum. At vero poenae in Francia auctae non sunt, sed aliud decretum die 24 m. Junii 1818 accessit, quo cautum ut semper naves quaedam bellicae adfuturae essent prope littora coloniarum Francicarum in Africa, quibus exportationis servorum reprimendae cura mandata foret (1).

Eodem fere tempore legati principum in Europa populorum, quibus et Francia accesserat, Aquas Granenses convenerunt. Sed hujusce Congressus quamvis in aliis causis major, in nostra certe minor fuit efficacitas; quaestio de Afrorum servorum commercio tantum fere inter Angliam et Franciam agitata fuit, si unam generalem petitionem excipimus Brasiliae Lusitaniaeque summo Imperanti oblatam, ut ad § 1 hujusce capitis jam vidimus, quo circa de hoc Congressu peculiari capite haud agendum censuimus, breviter tantum indicantes quae quaestionem nostram inter Angliam et Franciam agitatam spectant.

Flagitarunt nempe Angli denuo facultatem pervestigandi Francorum naves; sed nunc etiam frustra. Alios modos indicarunt Franci, quibus appareret an revera servi novi in colonias veherentur. Confici suadebant eum in finem catalogum nominum omnium servorum, qui eo tempore in coloniis reperiebantur, ut semper pateret an ibi servorum commercium vigere perrexerit (2). Neque parum ita profici censebant Franci. Fatebatur attamen simul Francicus mi-

(1) Cf. Garnier et Chanoine, III. 1342. not. 1.

(2) Cf. Meisel, *Cours de Style Diplomatique*, II. p. 212.

nister, cives suos, quamvis injuria, existimare abrogationem servorum Afrorum commercii sibi tanquam pacis conditionem fuisse obtrusam, quo efficiebatur ut minus promti reperirentur in praestanda obedientia legibus, quas sibi a peregrinis crederent impositas (1).

Sed haec minime sufficere censuerunt Angli, et confirmavit usus atque experientia. Ex innumeris factis apparet commercium servorum Afrorum a Francis agi perrexisse (2), coactique Angli fuerunt in Congressu Veronensi, summâ denuo industriâ tandem nefarii commercii abrogationem urgere.

§ 4. *Patria nostra.*

Quod ad Patriam nostram attinet, jam indicavimus ibi etiam servorum Afrorum commercium prohibitum fuisse lege 15 m. Junii 1814, et pacto cum Anglia d. d. 13 Augusti ejusdem anni (3). In hujus foederis enim art. 8°, declarabat Princeps Provinciarum Unitarum se vehementer flagrare studio adjuvandi Magnae Brittanniae Regem in conatibus ad plane tollendum servorum Afrorum commercium, atque se jam eo operam adhibuisse decreto suo diei 15 m. Junii 1814. Attamen valde querentibus Anglis de commercio ejusmodi, quod Belgici cives adhuc agere pergerent, Regis nostri cupido favendi hac in re Anglorum consiliis, (cum propter colonias nuper restitutas aliquid in Angliae gratiam facere fere esset coactus), novo pacto ansam

---

(1) Cf. Meisel, *Eod. Op.*, II. 207, et Lipman, *Geschiedenis van de Staatkunde*, enz. II. 305.

(2) Cf. *Etat Actuel*, p. 85, sqq. multis.

(3) Cf. de Martens, *Suppl.*, VI. 59. de Keverberg, *Du Royaume des Pays-Bas*, I. p. 98. *Pièces Justificatives*, I. p. 9, et *The foreign slave trade*, p. 18.

dedit, rato habito Hagae Comitis die 4 Maji 1818. Hocce cautum maxime est de inspiciendis utriusque gentis navibus quae prohibitum agere commercium suspectae essent. Naves ita deprehensae ad judices sunt deducendae, uti id in pactis Angliam inter atque Hispaniam et Portogalliam vidimus etiam receptum. Modus autem pervestigationis latius porro definitur et loci inprimis ubi pervestigatio licita est. Scilicet, neque in Mari Mediterraneo, neque in caeteris Europam adjacentibus maris partibus, naves mercatoriae jure inspici possunt. Nomina navium inspectoriarum atque omnia, quae eo pertinerent indicanda sunt a populo, qui eas mittit, ut rite alter sciat, quaenam naves huicce proposito destinatae sint. Earum numerus major esse jure non potest quam duodecim. Naves etiam illas, quas bellicae comitentur omnimodo inspicere fas est, atque ipsi illi comitantes, eo in casu, inspectoribus auxilium in perquisitione instituenda debent praestare. Porro statuitur damni resarcitio iis mercatoribus, quorum naves injuriâ a custodibus forent deductae praestanda a capientibus, atque denuo declaratur nullam navem posse detineri nisi in qua servi vendendi deprehenderentur. Constituendi sunt ab utraque parte judices, qui de hac re judicium ferant, atque adduntur in pacti fine placita uti in omnibus fere aliis hujusmodi pactis reperiuntur. Duo sunt praescripta addita, alterum regulas continens de modo naves perquirendi, alterum placita exhibens de tribunalibus, quorum est de hac re statuere (1).

Quodsi quaeritur quomodo stipulationibus illis Rex Guilielmus obsecutus fuerit, certe non habebant quod quere-

(1) Cf. de Martens, *Suppl.*, VIII. p. 511. *Nederlandsche Staats-Courant* van 31 October 1813, n° 257, en van 2 Nov. 1818, n° 258. *The foreign slave trade*, p. 19. de Keverberg, Op. cit., I. 99. *Pièces Justif.*, I. 117. Schoell, *Histoire Abrégée*, XI. 615.

rentur Angli. Ordinum Generalium coetui qui Bruxellas convenerat die 19 m. Octobris 1818, in concione habita die 23 ejusdem mensis, apographum misit pacti recentissimi cum Anglia, atque simul proposuit legem, quâ receptâ atque in usum adhibitâ pacti efficacitati valide prospiceretur (1). Lex uti a Rege proposita fuerat mutationes quasdam subiit, atque denuo die 10 mensis Novembris concioni secundae Camerae Ordinum Generalium est oblata (2). In coetu habito die 12 m. Novembris sententiam suam de lege declaravit Centralis Sectio atque post multas deliberationes, lex, probantibus 87 sociis, et 5 tantum eam repudiantibus, tandem recepta est (3). Satis gravis lex illa erat, quo circa eam in appendice integram retulimus (4).

Facile, perlecta illa lege, perspicitur quatuor primos articulos revera egregie tendere videri ad coërcendum Afrorum servorum commercium, articulum vero quintum additum, omnia evertere non quidem directo, certe tamen indirecto modo. Nam sic justum declaratum est commercium servorum Afrorum in omnibus Americanis nostris coloniis quamvis in Africa gravibus poenis vindicaretur. Novorum servorum igitur directe ex Africa exportatorum commercium quidem vetabatur, at vero servos, qui jam in colonias extraneas nuper fuerant invecti vendere, emere atque transportare, lege sancitum erat negotium.

Ratio quidem hujus placiti erat in promptu. Nisi ser-

---

(1) Cf. *Nederlandsche Staats-Courant*, 26 Oct. 1818, nº 252.

(2) Cf. *Nederlandsche Staats-Courant*, 12 Nov. 1818, nº 267.

(3) Cf. *Nederlandsche Staats-Courant*, 14 Nov. 1818, nº 269. Orationes hac opportunitate habitae leguntur in eodem diario d. d. 18, 19, 20 atque 24 Novembris 1818.

(4) Vid. Appendix B, atque *Staatsblad* voor 1818, nº 39. MURHARD, *Nouv. Suppl.*, I. 559.

vorum illa transvectio licita haberetur, statim coloniae nonnullae omni novorum servorum advectione destitutae necessario interiissent. Sed fatendum est, eam ipsam conditionem adjectam effecisse ut servorum Afrorum commercium in coloniis nostris agi haud desierit (1), qua de re multum et saepe questi sunt judices ad hanc rem constituti litteris ministro Anglico CASTLEREAGHIO missis. Sic contendebant a die inde promulgatae legis ad diem 22 Novembris ejusdem anni, 2800 novos servos in colonias Patriae nostrae subjectas fuisse invectos, non quidem directe Belgicis navibus, verum quos extraneae, praesertim Francicae naves advexerant, a quorum magistris, Surinamae inprimis coloni eos emerant. Parum ita valuerat lex ad sistendam tristem illam mercaturam (2).

Multas post querelas petitionesque tandem novum decretum edidit Rex, diem ferens inscriptum 16 m. Aprilis 1821. Illo decreto profitebatur ex relationibus apparere, adhuc nonnunquam in colonias nostras servos invehi, ex coloniis in quas directa ex Africa servorum invectio licita habebatur, cum tamen ex pacto cum Anglia et ex lege insecuta, hicce abusus ut tollatur necesse sit. Idcirco plane vetuit Rex in posterum in colonias Belgicas in America praecipueque in Surinamensem, importationem servorum advectorum ex quacunque extranea colonia, ubi directum servorum ex Africa commercium est licitum, poenis scriptis in eos, qui contra agerent (3) ipsas illas, quae

(1) « Still, the treaties and abolition laws of the Netherlands were violated and large importations of slaves into Surinam, were openly permitted by the local authorities. » Haecce saltem testantur in *The foreign slave trade*, p. 19.

(2) Cf. *Etat Actuel*, etc. p. 54—70.

(3) Cf. *Staatsblad* voor 1821, nº 16. MURHARD, *Nouv. Suppl.*, I. 593. *Etat Actuel*, p. 70. DE KEVERBERG, Op. cit., I. 100. *Pièc. Just.*, I. 123.

in mercium prohibitarum importationem statutae haberentur (1).

Sed neque hoc sufficere judicavit Societas Londinensis, cum veterum servorum commercium adhuc licitum maneret. Dicebat porro in lege sermonem esse de coloniis in novo orbe sitis, ubi Afrorum commercium non erat prohibitum; sed hujusmodi colonias jam nullas amplius haberi, quamvis illicitus mercatus in iis vigere pergeret. Decretum improbabant Angli igitur, et etiam poenam scriptam, cum, ut ajebant, per eam navis servis onerata instar haberetur navis, quasvis merces, butyrum vel aliud quid simile importantis, quod revera gravitati negotii et dignitati legis auctoris minus congruum esset habendum (2). Ut ut est, in decreto illo tunc quidem mutatum fuit nihil: quid postea evenerit, infra nobis erit videndum.

§ 5. *Asia et Africa.*

Cum ita in Europa ad avertendum populos fere omnes ab horrendo commercio Angli operam navarent, in aliis quoque orbis terrarum partibus, tale ut reciperetur placitum sunt conati. In Asia enim etiam, praesertim in Arabia aderant gentes, qui summo studio ex Africa servo-

(1) Satis mirum est quod de ea lege dicit auctor libelli *The foreign slave trade* «a decree — which — tended to open the ports of that «colony still more widely for their admission.» Haud satis videtur scriptor ille decreti placita cognovisse atque intellexisse. Fateor quidem paullatim tantum sic Rex noster invectionem servorum arcebat, et fervor Anglorum vix ullam pati moram didicerat.

(2) Cf. *Etat Actuel*, pag. 71. «Quant au châtiment prononcé par «le décret, qui assimile une cargaison composée d'êtres humains à une «barrique de beurre, ou à un quartant de genièvre, loin d'être une «aggravation, n'est ce pas au contraire un adoucissement des peines «déjà prononcées contre les auteurs de la traite?» etc.

rum sibi comparabant numerum haud exiguum. Inter eas, Princeps, seu uti vocatur, Imaum provinciae Muscat praecipuum locum occupabat, quod Anglos adegit ad pactum cum eo ineundum, die 10 Septembris 1822 (1), quo statutum, Principem ejus provinciae vetiturum esse omne servorum commercium extraneum, in perpetuum, in sua regione atque in aliis sibi subjectis.

Ita quoque jam mense Januarii 1820, cum tribubus Arabum prope sinum Persicum pactum inierant Angli, continens declarationem «that the carrying off of slaves, — «men, women and children — from the coast of Africa, «or elsewhere, and the transporting them in vessels, is «plunder and piracy, and the friendly Arabs shall do no«thing of this nature.»

Haec quoad Asiam. Cum sic Anglia multis cum populis et variis pactis, et in Congressibus, de tollendo servorum Afrorum commercio egerat, neque hic substitit, verum etiam conamina intendit, ad rem coërcendam in ipsis regionibus, ubi talia crimina legibus, seu potius consuetudine rata habebantur, atque ex quibus multi servi ab Europaeis mercatoribus evehebantur. Die scilicet 23 mensis Octobris 1817, Anglicus Praeses, qui ex mandato patriae suae insulam Mauritiam gubernabat, pactum iniit in urbe Tamatave, cum RADAMA summo insulae Madagascar imperante (2). Post renovatas amicitiae demonstrationes, inter Angliae Madagascaraeque Reges, in illo foedere convenerunt partes contrahentes, ut in omnibus regionibus barbaro Regi subjectis, ab eo inde die exstinctum plane foret servorum et hominum aliorum commercium, poena servitutis in eum ipsum scripta, qui commercium hocce

(1) Cf. *The foreign slave trade*, p. 26.

(2) Foedus hocce integrum legitur apud MURHARD, *Supplemens à* DE MARTENS, II. 338. Cf. quoque *The foreign slave trade*, p. 25.

ageret, servos ex insula vel in insulam deducendo, quod placitum RADAMA Rex, edicto confirmaturum se promisit. Sua vice Anglia se obstrinxit ad solvendam quoquo anno summam pecuniae quamdam et merces articulo foederis 3° latius definitas (1), si scilicet absque dubio apparuisset, leges in insula ferendas, maxima cum cura latas executionique fideliter mandatas esse.

Additus erat articulus de auxilio huicce Regi, et etiam Imperanti insulae Johannae ab Anglis ferendo, adversus praedationes maritimas gentium vicinarum.

Summa celeritate Rex RADAMA foederis placita secutus proclamationem subditis suis edidit, certe erga Anglos adulatione non exemptam. «Nemo vestrum», ita dicebat, «incolae Madagascarani, nescit ingentem amicitiam, qua cum

---

(1) Summa ab Anglis quotannis praestanda satis mire se habet. In illo articulo tertio enim haecce occurrunt.

«The commissioners on the part of his Excellency the Governor of «Mauritius do engage to pay Radama yearly the following articles:

1,000 dollars in gold.
1,000 dollars in silver.
100 barrels of powder of 100 ℔ each.
100 English muskets, complete, with accoutrements.
10,000 flints.
400 red jackets.
400 shirts.
400 pair of trowsers.
400 pair of shoes.
400 soldier's caps.
400 stocks.
12 serjeant's swords, regulation with belts.
400 pieces of white India cloth.
200 pieces of blue idem.
A full dress coat, hat and boots all complete for king Radama, and
Two horses.»

Tantis excitatus praemiis, Rex, Anglorum legatorum votis resistere minime potuit!

«Praeside Anglico insulae Mauritii gaudemus. Omnia hicce «conamina intendit, quibus felicitatem nostram, nostramque «prosperitatem augeat. Nunquam nos juribus privilegiisque «nostris privavit, nunquam tulit ut alii homines nos in ser- «vitutem redigerent; nobis viros misit, qui nos docerent «artes et industrias, huc usque in hacce regione incog- «nitas. Feliciori ab eo inde tempore statu gaudemus, atque «Patri nostro optimo ob illud maximas agimus gratias.

«Rex et populus ad quem Praeses ille pertinet, leges «condiderunt, quibus vetatur ut vos in servitutem rediga- «mini, atque secundum illas, albi homines, qui contra «eorum placita egerunt, puniti sunt. Nos etiam rogavit, «ut nostri commodi gratia, a tali commercio nos absti- «neamus.

«Patris nostri votis annuentes, declaramus, quemque sub- «ditorum nostrorum, qui ab hocce inde die deprehensus «erit vendere servos, eo consilio ut hi ex insula deportentur, «punitum iri servitute atque ejus bona in meam gratiam «esse publicanda. Subditi mei igitur, qui servos possident, «iis utantur in colendis oryza aliisque agrorum frugibus, «in custodiendis gregibus, in quaerendis melle et gumma, «in fabricandis vestibus. Ego Rex ipse, primum obedientiae «legi tribuendae exemplum do, non amplius exigendo vec- «tigal mihi ob venditionem servorum debitum. Meum fra- «trem Joannem Reneum, aliosque duces mittam in littora, «ut sibi sumant omnes servos deducendos. Ita enim facile «auxilium praestari poterit Angliae in hacce regione legato, «cui mandatum est inspicere an recte foederi obsequamur «nec ne.» Longiora in lege placita occurrunt de praeda- toriis expeditionibus, de quibus vero nobis non opus est dicere (1).

---

(1) Vid. Murhard, *Nouv. Suppl.*, II. 431.

Proclamatio haeccc, eo ipso die, quo pactum a partibus ratum habitum fuerit, 23 nempe Octobris 1817, prodiit. Certe longe citius quam aliter in hisce mos est. Placita etiam barbarus Rex accuratissime servavit, profecto melius agens quam tot culti populi, qui fidei datae obliti parum promissa curaverunt, uti ex supra dictis infraque dicendis, proh dolor, manifestum est. Nihil etiam ostendit, Regis Madagascarani subditos parum placita curasse, licet sit verosimile nonnunquam fraudationes sine Regis culpa locum obtinuisse. Tribus fere annis elapsis post pactum memoratum, Anglicus praepositus Hastius additamentum huicce foederi Regi barbaro proposuit, qui id ratum habuit, quo majoribus etiam praemiis ad servorum commercium ulterius coercendum incitabatur. Anglia enim promittebat viginti homines liberos, Radamae subditos, artes fabriles suo sumtu docendos se curaturam, quorum decem in ipsa Anglia, decem in insula Mauritii essent educandi. Octo porro alii in illa insula musicae elementa discendi erant, qui postea in patriam reversi cohortem musicam Regis vigilum efficerent (1).

Eodem iterum die, quo pactum, proclamatio Madagascarani Regis prodiit, qua haecce subditis suis nunciavit, die 11 mensis Octobris 1820 (2).

§ 6. *Respublica Foederata Americae Septemtrionalis.*

Cum ita vidimus quousque se extenderint Angliae cum plerisque populis veteris orbis terrarum pactorum effectus, ut tolleretur malum ingens atque horrendum, ad Americam oculos divertamus, quippe praecipuam nefandae servitutis sedem. Primo loco occurrit Respublica Foederata Ame-

(1) Vid. Murhard, *Nouv. Suppl.*, II. 392.

(2) Vid. Murhard, Op. cit., II. 393.

ricae Septemtrionalis. Mirum est omnino in regione, cujus cives se omnium hominum liberrimos praedicant, quum aequalitatem maxime se tueri profitentur, tam diu servata esse instituta uti servitus Afrorum, quae libertatis illi et aequalitatis declarationi quam maxime sunt contraria.

Complura quidem afferuntur ad servitutem tuendam argumenta. Dicunt illi, servis se carere non posse ad agros colendos, et conditionem servorum quoque minime esse miseram. Alii contra, Abolitionistae dicti, servitutem plane tollendam decernunt. Uti res se habet, agunt illi de servitute servanda aut tollenda, quum nos quaeramus tantum de servorum commercio servato aut sublato. Nam sint ibi servi necessarii, remanet vel sic quaestio, an igitur invectio ex Africa necessaria est? Negando responderi potest, quum quoquo anno satis magnus nascitur infantium ex servabus numerus; ita necessarium non erit illum numerum insuper perpetua invectione augere.

Nonnulli tamen versus idem tempus, quo de tollendo servorum Afrorum commercio in ipsa Anglia agebatur, in America Septemtrionali quoque conatus eo intenderunt. Ita primus prodiit Actus Congressus die 22 Martii 1794 (1) poenas scribens in exercitores ducesque navium venaliciarum, mulctae 2,000 dollarum, atque publicationis navis servorumque. Accessit aliud edictum, d. d. 10 Maji 1800, quo naves bellicae inspectoriae fuere constitutae, quae naves Americanas suspectas pervestigarent. Sed hanc perquisitionem, se solos in naves suas exercituros Americani profitebantur (2).

Societas tamen Quakerorum, quae ingentem, consiliis quae ad humanitatem pertinent, laudem est adepta, sta-

(1) Cf. Graydon's *Digest of the laws of the United States*, p. 420, et *The foreign slave trade*, p. 21.

(2) Cf. Graydon's *Digest*, p. 421.

tutis legibus se contentam esse denegavit, atque tandem die 2 Martii 1807 tertius Congressus Actus de tollendo Afrorum commercio prodiit (1).

Cum huicce prolatae sententiae accessisset articulus 10us pacis Gandavensis, diei 24 Decembris 1814, quo Respublica Foederata se erga Angliam obstrinxit, ad junctim cum ea conamina ad interitum Afrorum servorum commercii obtinendum, intendenda, faustum eventum omnino Quakeri sperare poterant. Sic porro edictum aliud in illa Americae parte prodiit, die 20 Aprilis 1818, quo confirmabantur anteriora placita (2).

Frustra autem versus idem tempus ab Abolitionistis tentatum fuit, ut servorum mercatores piratarum instar puniendos esse lege declararetur. Leges quales erant eo tempore huc redeunt. Prohibita erat servorum importatio. Navis venalicia capta publicanda erat in commodum thesauri publici. Societas inita ad exercendas tales naves punienda mulctâ 2,000 dollarum, cujus dimidia pars thesauro, altera delatori cederet. Nefas erat exercere naves in Republica, quibus Afrorum servorum commercium in exteris coloniis esset agendum: puniendi rei, carcere per 3 ad 7 annos, atque mulcta 1,000 ad 5,000 dollarum. Qui

(1) Continebat placitum sequens: « That the committee to whom was « referred the petition of the committee of the yearly meeting of the So- « ciety of friends at Baltimore, be instructed to inquire into the expedi- « ency of so amending the laws, of the United states on the subject of « the African slave trade, as more effectually to prevent the said trade « from being carried on by the citizens of the United states, under fo- « reign flags: and also into the expediency of the United states, taking « measures in concert with other nations, for the entire abolition of the « said trade. » Cf. *The foreign slave trade.* Loc. laud. et Mohl, *Das Bundes Staatsrecht der Vereinigten Staaten von Nord-Amerika*, Tubingen 1824. 1e Abth. p. 409.

(2) Vid. Mohl, *Das Bundes Staats-Recht*, etc. I. 409.

periculo suo servos in Americam inveheret, luebat poenam carceris per 5 ad 10 annos, cum mulcta 1,000 ad 10,000 dollarum etc. Sed omnia illa placita satis severe ita in reos animadvertebant (1). Attamen ea minime sufficere paullo post patuit, uti jam visum fuit CASTLEREAGHIO, qui mense Junii 1818 medio, ab Americae Septemtrionalis legato RUSHIO strenue petivit ut Anglicis navibus jus pervestigationis concederetur in naves suspectas, quod tanquam unicum tollendi commercii medium esset considerandum. Sed denegavit hoc legatus, atque sic Angli nihil efficere potuerunt, nisi promulgationem novi edicti diei 3 Martii 1819 (2), cui denique successit aliud, d. d. 5 Maji 1820 (3), in quo tandem receptum fuit placitum, Afrorum servorum commercium tanquam piraticam maritimam morte esse puniendum.

Haecce ultima lex fuit de ejus commercii abrogatione in illa republica lata. — An revera fausto eventu Abolitionistae jure gavisi sint infra nobis est videndum.

§ 7. *Respublicae Americae Meridionalis.*

In America Meridionali versus initium hujus saeculi libertatis studium animos impellebat, ita ut haud paucae provinciae, ab Hispanorum maxime dominatione se liberaverint. Harum fata referre hic nihil attinet. Sufficiat dicere permultas provincias se saepe foedere junxisse, exemplo Provinciarum Unitarum Americae Septemtrionalis et sic Respublicas efficientes, pactis cum potentissimis Europae gentibus initis suam libertatem firmare conatas esse.

Una ex his nuper constitutis Rebuspublicis fuit Columbia,

(1) Vid. MOHL, Op. cit., p. 409 sqq.
(2) Vid. *Etat Actuel*, p. 162 et 203.
(3) Vid. *The foreign slave trade*, p. 20.

quae die 19 mensis Julii 1821 edictum promulgavit de tollenda servorum invectione (1).

Antea jam, die nempe 11 Octobris 1811 Supremus Congressus Nationalis Chiliensis idem statuerat, uti etiam in Republica Buenos Ayres die 9 Aprilis 1812 lex condita est, promulgataque die 14 ejusdem mensis, eadem plane vetans.

Aliter rem incepit Respublica Peru: nam minime ibi sustulit Afrorum servorum commercium, decretum diei 12 Augusti 1821, quod liberos proclamat omnes servorum infantes, natos inde a die 28 Julii ejusdem anni (2).

De conatibus, qui postea in his regionibus deque illis qui in caeteris locum obtinuerunt, ut temporis rationem recte servemus infra nobis erit dicendum.

§ 8. *Hujus capitis Conclusio.*

Vidimus ita quo indefesso animo Magna Brittannia abolitionem servorum Afrorum commercii cordi habuerit, quique eventus fuerint horum conatuum apud extraneas gentes. Fatendum omnino est omnes illas declarationes foederaque, quibus convenerunt gentes inter se, leges etiam, quas privata dederunt auctoritate, multa reliquisse, quae desiderarentur etiamnunc. Sed fatendum etiam rem fuisse gravissimam, de qua gentes non tam cito aliquid potuerunt statuere, quod firmum esset ac stabile, quia coloniarum et mercaturae prosperitas multis adeo populis ab hac re pendere videbatur. Patria nostra revera aperte professa est, in quibus locis commercium esset vetandum, perrexitque illud agi solum in locis non prohibitis. Fatendum etiam est, nullam gentem magis quam nostrates Anglorum con-

(1) Vid. *The foreign slave trade*, p. 24.

(2) Vid. *The foreign slave trade*, p. 23.

siliis favisse, laudemque majorem hac in re esse adeptam (1).

Quod ad tres reliquos populos attinet Europaeos, quorum hac de re acta gestaque retulimus, potius pulchra proponebant edicta quam ea executioni mandabant. Neque hae falsae sunt imputationes; factis revera admissis probantur. Multa enim querelis Anglorum delegatorum justissimam praebebant causam. Ita e. g. MAC-CARTHEYUS, qui nomine Anglici Regis provinciam Sierram-Leonem in Africa gubernabat, multis litteris naves indicabat fraudulentum commercium agentes, uti Portogallicas dictas la Nova Felicidade atque St. Salvador: Francicas, Mariam (captam in flumine Gallina quum 106 servos veheret), Catharinam (captam cum 50 servis in ea deprehensis), bene multasque alias, annis inprimis 1819 et 1820.

Duces atque praefecti navium bellicarum Anglicarum, quibus cura erat mandata detinendi naves, quibus prohi-

(1) Egregie et merito laudat, quae patria in toto hoc negotio perfecit, Baro DE KEVERBERG in opere jam saepius citato, p. 101, ubi leguntur: «L'active vigilance et la salutaire rigueur du gouvernement des Pays-«Bas, contrastent dans cette occasion d'une manière tranchante avec la «tièdeur et il serait difficile de le nier, avec la tolérance de quelques «autres gouvernemens; et tandis qu'on vit avec un mélange d'étonne-«ment et d'horreur chez une nation réputée éminemment douce et ci-«vilisée, jeter à la mer comme marchandise avariée, une cargaison de «malheureux nègres malades (*); que chez un autre peuple qui se dit «religieux par excellence on décerna des récompenses à ceux qui avaient «favorisé la traite, et qui même y avaient participé; qu'enfin la voix «publique accuse ouvertement la France et le Portugal d'avoir importé «depuis 1820—1822 plus de 100,000 esclaves dans leurs colonies, le «Roi des Pays-Bas fidèle aux traités et aux principes d'une morale «élevée déploya constamment tous les ressorts du pouvoir, pour protéger «l'humanité, dans chacun de ses membres et sans égard à leur couleur, «contre toute espèce de tyrannie.»

(*) Francicae hujus navis ducis, historia atque crimina referuntur in *Etat Actuel*, versus finem.

bitum ageretur commercium, sedulo munere suo fungebantur. Quod ad Francicas attinet naves venalicias, ministris omnes casus tantum indicare poterant, quibus Franci recens pactum violarent, cum eorum naves detinere, jure perquisitionis nondum admisso, esset nefas. Sed Hispanicas bene multas naves earumque duces detulerant ad judices, quo inprimis pertinet captio navis la Regla, die 10 Augusti 1819, de qua captione, quum unus tantum servus in nave deprehenderetur, multum disputatum fuit. Evasit tamen exitus ut praefectus tandem ad poenam damnatus fuerit. Porro Fabiana, die 14 Junii 1819, tredecim nigros vehens, Juanita, die 27 Julii 1819, 9 servis, Esperanza, mense Augusti 1819, 40 servis onerata, a navibus Anglicis fuerunt deductae. Huc quoque pertinent Las-Nieves die 11 Decembris 1819 cum 122 servis, Francisco eodem mense cum 69, Gazetta m. Martio 1820 cum 82, Montserratte die 16 Octobris 1820 cum 85, la Bella Dora cum 122, Francisca cum 80 servis captae.

Hicce autem inprimis retulimus, quae potissimum Hispanicas naves spectabant, tanquam specimen ingentis adhuc eo tempore servorum commercii. Otiosum plane opus foret, omnium aliarum navium nomina numerumque servorum in iis repertorum describere, cum ex relatione Societatis Londinensis anni 1821, satis facile longeque melius omnes hi casus cognosci possint (1).

Ut ut est, relatio sic confecta oblata fuit Parlamento Anglico, atque omnes ibi summam professi sunt indignationem propter tantas violationes foederum edictorumque. Suadentibus porro Landsdownio atque Wilberforcio, diebus 25 et 26 Junii 1821, in declarationem omnes unanimes consenserunt, qua vehementer se dolere Parlamentum de-

(1) Vid. *Etat Actuel de la Traite des Noirs*, Londres 1821, passim.

clarat, quod efficacitate ita destituti fuerint nobiles conatus Societatis Londinensis. De singulis gentibus dicens, declarat Parlamentum se deplorare, quod Hollandia non majori cum studio conatuum suorum fuerit particeps: attamen se gaudere, Regem Guilielmum omni fide pacta et leges fuisse exsecutum.

Hispaniam contemplans, Parlamentum dolet, contra omnia foedera, licentiam ibi datam esse commercio reprobato ejusmodi ut nunc iterum novo ardore increscat, atque edicta proposita parum videatur curare. Quod ad Portogalliam attinet, quae commercium istud adhuc tolerat et simul tempus ejus abolitionis certum statuere strenue recusat, propositorum suorum ut ne tenaces Portogalli maneant, serio monentur. Portogallia non potest probare amplius, quod ipsa inhumanum et injustum olim declaravit.

Cives Francici nonnulli etiam Afrorum commercium jam eo extenderunt, quo usque ad haecce tempora nunquam adhuc excreverat. Vexillum Francicum tam Francos quam extraneos tutos praestat. Jamjam Afri in patria sua paululum tutius agros suos colebant; sed renovatio horrendi commercii iterum retulit in illos agros praedationem, anarchiam, desolationem atque sterilitatem. Sperare licet, jam vice sua Francos operam, ad commercii exstinctionem, serio esse adhibituros.

In fine hujus scripti, Parlamentum deprecatur Regem, ut apud omnes gentes, Francicam vero inprimis, conamina intendat, per quae tandem humanitatis causa victrix ubivis possit evadere (1).

---

(1) Cf. *Etat Actuel*, p. 200, sqq.

Caput Quartum.

CONGRESSUS VERONENSIS.

Multum aberat ut post ejectum Napoleontem, restitutosque in plerisque Europae regionibus legitimos Imperantes, diu pace felici gauderent populi bellis tam terribilibus defessi. Congressus Laibachii habitus non omnem sustulerat dissensionem. In Europae Oriente, Graeci post longam Turcarum dominationem, tandem liberi suique juris fieri expetebant. In Occidente, Hispania tranquillitati Europae gravia pericula minari videbatur. Opus igitur quam maxime erat, ut iterum quieti Europae efficaciter prospiceretur, atque illam in finem novus Congressus Florentiae habendus decretus est. Convenit ille tamen non Florentiae verum in urbe Verona, quo anno 1822 incipiente, legati atque ipsi nonnulli Imperantium praecipuarum Europae regionum, ut Austriae, Borussiae, Neapoliae, Sardiniae, Franciae, Angliae, aliarumque se contulerunt. Pontifex Romanus etiam legatum suum miserat, cum contrarium plane de Hispania, de cujus rebus praesertim in Congressu agendum foret, dicendum sit.

Nostrum non est de iis agere, quae ad argumentum nostrum minus referenda sunt. Ut de reliquis igitur taceamus

sufficiat dicere in illo ipso Veronensi Congressu, uti jam antea Viennae, iterum fuisse actum de servorum Afrorum commercio. Supra vidimus, longe abfuisse ut plane abolitum illud esset, contractaque pacta, maxima pro parte, Europae gentes minime servavisse. Iterum igitur erat Angliae legatus, qui causam Afrorum tuendam susciperet, scilicet Dux Wellingtonus, qui loco Castlereaghii (qui tristi fato paullo ante ipsum se interemerat), fuerat Veronam missus.

Wellingtonus igitur in legatorum conventione habita die 24 m. Novembris 1822, observationes (Memorandum) collegis suis tradidit hujusmodi: in mentem legatorum revocabat ea, quae de tollendo Afrorum commercio in Congressu Viennensi fuerant agitata atque declarata. Octo majores Europae gentes iis placitis subscripserant, et majori minorive studio leges hac de re tulerant, excepta sola Portogallia, quae declarationi Congressus Viennensis non obsecuta, commercium Afrorum licitum habebat. Omnes alii Europae populi mari adjacentes, Respublica Foederata Americae Septemtrionalis, civitates in ejus parte Meridionali cunctae, si Brasiliam excipias, fere eadem placita in isto commercio prohibendo constituerant Cur Brasilia decretis aliorum regnorum non assentiretur, facile profecto est intellectu, si attendamus illud extensum imperium, eo saltem tempore, ad Portogalliam pertinuisse. Sed redeamus ad Anglici legati observationes.

Facile probari posse Wellingtonus contendebat, legibus illis omnibus latis, tamen inde ab anno 1815, commercium hocce multo magis etiam se extendisse quam antea. Affirmabat v. c., septem mensibus anni praecedentis (1821), 38,000 homines miserrimos raptos atque abductos fuisse ex Africae littoribus; affirmabat, a mense inde Julio medio 1820, ad mensem Octobris 1821, 325 naves ad flumina

et littora ejus infelicissimae regionis, et quidem ad Septemtrionem Lineae Aequinoctialis, appulisse, quibus navibus 180,000 servi contineri poterant. Porro dicebat, mercatum Afrorum servorum generaliter locum habere navibus vexillo Francico vectis. Ratio hujusce satis erat perspicua: Francia enim unicum magnum erat regnum maritimum Europae, quod cum Rege Magnae Brittanniae pactum non fuerat de inspiciendis navibus, quibus hoc commercium agi videretur (1). Illi, qui secundum pacta cum aliis gentibus contracta, hoc naves pervestigandi jure gaudebant, ausi non fuerant illud quoque ad naves Francicas extendere. Pacta autem illa omnia cum Hispania, Hollandia, Portogallia, ad faustum exitum ducere haud poterant, quamdiu fraudulenti mercatores, vexillo caeterum tam venerando quam Francico, abutebantur.

Addebat autem Wellingtonus, tunc etiam crudeliori modo cum servis agi, quia necessitas celandi eos, quos in nave vendendos habebant, ad crudelia multa ducebat. Numerus servorum omnino justo major, in quaque nave coäcervabatur. Sic quidem iis, qui abducebantur, felicius fuisset si nunquam Afrorum mercatus fuisset prohibitus, quia tunc saltem Principes curassent, ut melius cum iis ageretur, qui ad vitam servituti manciparentur.

Haec ipsa magis specialiter denuo ad ipsos Francicos legatus convertens, ostendit Wellingtonus, eo tempore plerasque adesse naves Francicas, quae mercatum istum exercerent. In Francia leges adesse fatebatur, ad turpe id commercii genus arcendum; sed eas vel plane non, vel negligenter admodum executioni mandari, contendebat. Praeterea negabat, leges illas si quidem applicarentur, satis efficaciter illud commercium arcere. In Francia, popu-

(1) Uti e. g., in ultimo pacto ab Anglia cum Patria nostra contracto, locum omnino obtinuerat.

lus, si tamen cognosceret crudelia Afris illata, verum parum eos curare videbatur.

Porro Anglus precibus legatos reliquos adiit, ut secum in his conatibus operam intenderent. Declarationis, a gentibus conjunctis publicandae, proposuit specimen, qua negaretur usus vexilli navalis, mercatoribus extraneis hocce commercium agentibus, quaque ipsi illi tanquam piratae haberentur; mercium autem omnis invectio prohiberetur, si adducerentur ex terris, ubi licitum adhuc secundum leges esset servorum Afrorum commercium, scilicet ex Portogallia atque Brasiliensi imperio. Modus denique exposuit, quo Francia, si revera particeps fieri vellet commodorum inde oriundorum, in societatem horum conatuum venire posset (1).

Francia igitur inprimis inculpata fuerat; neque mirum, cum jam vidimus, parum illam hac in re perfecisse. Attamen, Franciae legati, culpam a patria sua amovere, sunt conati. Châteaubriandus, in opere suo in nota citato, multa affert adversus illam Anglorum philanthropiam, quam simulatam dicit. Mirum, ait, quomodo in omnibus legatorum et populorum, de negotiis publicis, conventibus, inter res et facta quam maxime ab ea re aliena, Anglia semper, summa cura atque tenacitate, abolitionem servorum commercii in memoriam revocet. Haec ab humanitatis consiliis proficisci negans, solam lucri cupidinem eos ad hoc adigere contendit (2).

«Anglia, timens», ait, «ne servorum commercium, a quo «aegre discesserat, ab alio populo ageretur, cogere jam

(1) Memorandum hocce integrum Wellingtoni, legitur apud Meisel, *Cours de Style Diplomatique*, II. 201, sqq., et Cf. de Châteaubriand, *Congrès de Verone*, etc. I. p. 71, sqq. Lipman, *Geschied. der Staatkunde*, II. 303, sqq.

(2) Vide ejusdem operis citati, vol. I. p. 71, sqq.

«cupit Franciam, Hispaniam, Portogalliam, Hollandiam, «ut integram coloniarum conditionem commutent, non «inquirens plane an eo illae civitates pervenerint, ut li«bertate concessa Afris, coloniae aliis modis sustentari atque «ali possint. Quod Anglia perfecerat, id, ex Anglorum sen«tentia, cuique regioni erat perficiendum, quamvis maxima «damna navigationi atque coloniis sic inferrentur. Com«modum Anglorum proprium, causa est, quae Anglos, ad «haec consilia persequenda, incitat.»

Tria inprimis Anglos postulare contendebat injustissima: scilicet jus naves perquirendi, Afrorum commercii praedationi maritimae aequiparationem, atque invectionem prohibitam mercium ex coloniis, ubi servi nigri agros colunt. Minus juste sic haud dubie CHÂTEAUBRIANDUS, quum crederet, Franciam non satis facile, neque sine damno, servorum mercatum posse abrogare (1). Omnem humanitatis laudem hac in re Anglis negat. Atqui non dicit de Francorum fide violata, neque de pactis, declarationibus, legibus, tam saepe initis, editis, promulgatis, repetitisque, quae omnia tamen effectu manserant destituta.

Contendit, Hollandiam etiam minus lubenter petitioni Anglorum accessisse: sed nonne historia contrarium probat? Affirmat, colonias omnes interituras, si servorum mercatus abrogatur. Sed nonne Anglorum coloniae plane contrarium probant? Naves pervestigare et servorum mercatores piratarum instar haberi, ideo tantum Anglos exigere contendit, ut impune omnes naves extraneas aggredi, ipsis

---

(1) Potius forte legatus ille timebat, ne ipsi sibi damna inferrentur, si revera Afrorum servorum commercium in Francia prohiberetur. Nam, quod mirum certe videtur, suo proprio sumtu venalicium agebat, nave, cui DUX DE LA HAYE erat praepositus. Haecce saltem testantur in libro scripto ab auctore romantico Francico, ROGER DE BEAUVOIR, *le Chevalier de St. Georges*, Paris 1840. vol. III. p. 9, nota.

liceret. Mercium, ex coloniis ubi Afri invehuntur, advectionem, ideo tantum prohiberi velle Anglos, contendit, ut iis substituantur merces Indiae atque Magnae Brittanniae! Non satis ita tamen Franci animadvertebant, Anglos sibi nil postulare, quod non vicissim Francis essent concessuri.

Sed quid amplius addam? Châteaubriandus veritus ne patriae suae damnum inferretur, alii regioni honorem invidebat, omnino egregie de humanitate meritam fuisse. Declarat autem Franciae legatus, Franciae Regem participem omnino esse sollicitudinis, quâ Angli horrendum illud tollere conantur commercium, a Deo atque ab hominibus universe exprobratum, et hujus negotii suscepti omnem laudem, Anglis tribuendam esse. Sed quamvis omnes omnino, ait, plane eadem sentiant, de disciplinae moralis atque religionis, quod ad illud commercium attinet, placitis, tamen eadem illa placita jam in praxi difficultatibus multis laborare, haud negare potest.

Respondebant autem Anglici legati, servorum Afrorum commercium olim legibus atque consuetudine sancitum, nunc legibus ubivis impeditum, praeterquam in Portogallia, hocce tempore paecipue tutum haberi, vexilli Francici usu, sive navibus Francicis sive extraneis. «Ita, piratae», respondit Châteaubriandus, «possunt vexillo uti caeterum valde «venerando. Francia ipsa ignorat, quantus sit vexilli sui «abusus».

In memorando porro fatebatur Wellingtonus, Regem Franciae fideliter servasse placita, pactis initis contenta, atque, uti promiserat, leges hac de re promulgasse. Sed videtur ei populus Francicus, minus huicce sententiae adsentiri. «Fieri potest,» ita Francicus legatus pergebat, «ut nonnulli «mercatores perperam de re sentiant, atque credant multum «invidiae tribuendum esse, qua Angli Francis coloniarum «suarum possessionem invident. Sed ne existiment, parvas

«colonias, quas bella gravissima Franciae reliquerunt, An-«gliae esse invidiae, quae tantas possidet regiones in om-«nibus terrarum orbis partibus. Quod ad sententiam civium «Francicorum attinet, minime est mirandum eos non valde «lubenter accedere ad placita, a Rege suo, in favorem Afro-«rum, prolata. Multae familiae adhuc deplorant terribilem «cognatorum suorum caedem, quum servi, in insula St. Do-«mingo, eorum mortis causae exstitissent. Profecto Angli «aliter quam nunc de servis cogitarent, si idem in coloniis «suis fuissent experti. Porro est universe in Francia recepta «opinio, servorum commercii abrogationem, sibi, etiam tam-«quam pacis conditionem, ad remunerandas ingentes victo-«rias, fuisse impositam» (1).

Sed temporis etiam, quo in Anglia Afrorum commercium fuerat prohibitum, et illius, quo Francia ad eadem placita recipienda jam adigebatur, maxima erat diversitas. Angli, per multos annos ingentem et omnino justo majorem numerum servorum Afrorum, in colonias invexerant, antequam mercatus illius abolitio plane decerneretur. Franciae, ut in pactis cum Anglia conventum fuerat, quinque anni erant relicti, antequam plena commercii illius abolitio sequeretur.

Quod ad media a Wellingtono proposita, improbavit ea quam maxime Châteaubriandus. Servorum mercatores, tanquam praedones maritimos, morte puniendos esse, secundum eum est placitum juris publici, de quo pronunciare singulorum est Imperantium, non Congressus cujusdam jure gentium. Exigitur ut vexilli Francici usum negetur, ad occultandum tale commercium: justissimum in se est placitum. Sed Francia non prohibere potest, quod nun-

(1) Hoc etiam jam alius Francicus legatus atque minister, Comes Richelius, in Congressu Aquis-Granensi observaverat, uti supra jam indicavimus. Cf. Meisel, *Cours de Style Dipl.*, II. 207.

quam permisit. Mercium negare importationem, ex coloniis ubi adhuc servorum Afrorum commercium lege atque usu est receptum, placitum est cui sola Portogallia obnoxia foret, quae, quum ejus in Congressu nullus adsit legatus, primum hac de re audienda foret, antequam tale quid statuatur. Quod ad jus navium perquirendarum, dissidia maxima inter Anglos et Francos inde orirentur. Francia agnoscit maris libertatem, in favorem cujuscunque gentis: atque eandem plane indefinitamque libertatem sibi ipsi vindicat (1).

Quae WELLINGTONUS proposuerat ita, plane a CHÂTEAUBRIANDO, nomine etiam collegarum suorum, fuere rejecta, atque omnes hac de re deliberationes et consilia exitu caruere, si declarationem, in ipso Congressu a majoribus Europae gentibus prolatam, excipias. Scilicet, «die 28 m. «Novembris 1822, legati Austriae, Franciae, Russiae, Mag- «nae Brittanniae atque Borussiae, professi sunt se attendere, «suos Principes, declaratione Congressus Viennensis, diei «8 Februarii 1815, palam se obstrinxisse ad prohibendum «servorum Afrorum mercatum; porro considerantes leges «quidem deinceps in multis regionibus conditas, atque bene «multa pacta inter populos maritimos, ad commercium «Afrorum tollendum inita esse; attamen illud adhuc agi «perrexisse et quidem eo acerbius forte, quo magis restric- «tum fuerit: causas hujus rei praecipuas petendas censent «ex illicitis fraudibus, quibus navium exercitores atque «mercatores, legibus suarum regionum se subtrahunt. Ag- «noscunt necessitatem serio de efficacissimis remediis agendi, «quibus horrendum illud commercium plane tollatur, eum- «que in finem, nomine suorum Imperantium, declarant, «se eadem jam tueri placita, quae declarationi, diei 8

(1) Cf. DE CHÂTEAUBRIAND, o. c. I. 74. MEISEL, o. c. II. 214. MURHARD, o. c. I. 599. LIPMAN, o. c. II. 306.

«Febr. 1815, comprehenduntur. Profitentur se nunquam «cessasse neque cessaturos, servorum commercium tan-«quam crimen damnare, quod tanta per saecula, Africae «summa damna attulit, Europam infamiâ notavit, huma-«nitatem summo dedecore affecit. Se paratos declarant «porro, ad instituenda et perficienda omnia, quibus hujus «commercii exitium properetur. Quo magis autem haec «iterata declaratio effectum obtineat, quemque populum «operam esse daturum, profitentur, ad media quaerenda, «neque civium commodis, neque eorum juribus contraria, «ut, per orbem terrarum, finis obtineatur nefandi hujus «commercii (1)».

Integra fere huc haec exhibenda mihi visa est declaratio, ut constet, quam parum ea valuerit ad gentium Europae proposita hac in re promovenda. Nam repetitis fere plane iisdem verbis, ac illa, quae in Congressu Viennensi fuerant enunciata, eadem continebantur placita, et, licet sic aliquomodo se obstrinxissent populi, liberum tamen ipsis manebat, omnia quae vellent hac de re statuere. Sic etiam declaratio haecce effectus nullos habuit. Francia perrexit in systemate suo, de multis legibus condendis, ut videbimus attamen vigore destitutis, neque impediebatur sic vexilli Francici, ad commercium servorum agendum, usus. Angli denuo laudabilibus conatibus operam dare haud desierunt, ut reliqui populi etiam a commercio averterentur. Et, quod ad Portogalliam attinet, nulla clausula declarationi inerat, qua tandem a commercio illo factitando averterentur Lusitani. Quid igitur proprie illa praecipua Veronensis Congressus declaratio effecit? Nihil; quum quisque populus tantum praestiturus esset, quantum suo commodo consentaneum crederet, quod ita revera se habuisse sequentia docebunt.

(1) Vid. DE MARTENS, *Suppl.*, X. 139.

Caput Quintum.

DE IIS, QUAE POST CONGRESSUM VERONENSEM, AD TEMPUS USQUE NOSTRUM, DE TOLLENDO AFRORUM SERVORUM COMMERCIO, SUNT PERACTA.

§ 1. *Portogallia.*

Portogallia multis pactis sese obstrinxerat ad favendum Anglorum consiliis: attamen, rupta saepissime conventionum fide, servorum commercium legibus nondum coarctaverat. Impedimentis tamen mercatura illa ibi non carebat. Supra vidimus pacto, die 28 m. Julii 1817 inito inter Portogalliam et Angliam, etiam jus pervestigandi naves suspectas ad Septemtrionem Lineae Aequinoctialis fuisse receptum. Angli quidem in hoc jure exercendo se diligentissimos praestabant. Attamen, propter marium prope Africam magnitudinem, exiguum navium bellicarum numerum, propter negligentiam etiam, quam Portogallicae naves in detegendis culposis adhibebant, non omnes naves perquirebantur, et multae salvae evadebant. Navium magistri, qui inspectionem timebant, servis in littore depositis, sese inspectioni offerebant, eâque peracta, Afros iterum in naves detrudebant. Sic pacto novo inter Portogalliam atque Angliam locus datus est, convento Ulyssipone, die 15 m. Martii

1823 (1), quo plane eadem continentur, quae pactis versus idem tempus cum Hispania et Patria nostra, initis. Sed cum jus naves pervestigandi, quae a Meridionali parte Lineae Aequinoctialis deprehenderentur, constanter negarent Portogalli, ibi certe servorum commercium tuto ab iis agi perrexit.

De rerum politicarum conversionibus et turbis in Portogallia jam non est dicendum; sed minus apta certe illa tempora erant, quibus boni horum consiliorum effectus sperarentur. Huc usque Portogalli, tanquam praecipuam necessitatis servandi adhuc servorum commercii causam, contenderant, colonias suas in America sine novis servis coli plane non posse. Cum autem praecipua earum colonia, Brasilia, in libertatem se vindicasset, causae illi multum decessit, quod Angli iis quoque ostenderunt. Liberum servorum Afrorum commercium, tunc Lusitani postularunt, in utilitatem coloniarum suarum prope Africam, insularum scilicet Promontorii Viridis, St. Thomae, Principis, caet. Nempe facile erat negotium, naves Anglicas decipiendo, servos inde ad Americam transvehere (2). Hocce tandem quoque navium Anglicarum duces fieri animadvertentes, inquirere eos quoque naves venalicias coeperunt. Qua de re querentibus Lusitanis, CANNINGIUS Minister respondit, servorum commercium iis concessum esse solum, ut ne coloniae transatlanticae Portogallorum servis egeant; sed nunc hos, contra pacti sententiam, agere mercaturam prohibitam. At vel sic tamen perrexit Portogalliae regimen commercium servorum licitum habere.

Perrexere ergo Angli etiam de re queri. Nobilis PALMERSTONUS v. c. die 13 Februarii 1832, legato Anglico Ulyssipone, mandavit hujus negotii sedulam curam. Quum vero Lu-

(1) Vid. DE MARTENS, *Suppl.*, X. 249.

(2) Cf. *The foreign slave trade*, p. 13.

sitani tergiversarentur, denuo, die 5 Junii ejusdem anni, novam diplomaticam notam legatus Anglicus obtulit (1); sed hae, licet saepius iterarentur, nihil effecerunt. In insulis Promontorii Viridis, v. c. anno 1834, maximum erat venaliciorum piratarumque receptaculum. Ibi aderat frater consanguineus Portogallici Gubernatoris, qui, cuique cupienti, extraneo quoque, vendebat vexilla Portogallica, atque veniam Afrorum servorum commercium agendi. Etiam, pecuniâ solutâ, hujus generis mercator poterat nautas eumque, qui navis ducem se simularet, sibi comparare; ita ut si navis caperetur ab Anglicis vel aliis navibus bellicis, verus navis magister videretur esse quasi viator, atque sic salvus evaderet (2).

Postea fateor, anno 1836, die 10 Decembris, lex prodiit quae commercium servorum gravibus poenis subjecit (3). Sed lex tantum data est, ut petitioni Anglorum fieret satis, qui nunquam cessarunt hujus commercii abrogationem, quo poterant modo, urgere. Paullo post etiam, die 17 Januarii 1837, nova lex prodiit, vetans navium extranearum, ad commercium illud prohibitum agendum, emtionem.

Omnes hae leges impedire non potuerunt, quominus summâ pertinaciâ servorum commercium ageretur, qua de re bene multi querelas moverunt in Parlamento Anglico, anno 1838. Nobilis Glenelgius, coloniarum minister, tunc (die 23 Februarii) vehementer invectus est in negligentiam, quacum Portogallia atque Brasilia foedera inita exsequebantur. Professus est inprimis, se mirari, quomodo Portogallia, commercium jam prohibitum, nunc multo ma-

(1) Cf. *The foreign slave trade*, p. 14.

(2) Vid. *Recensent ook der Recensenten*, Maart 1837, Mengelwerk, p. 128.

(3) Cf. *The foreign slave trade*, p. 15 sqq.

gis strenue quam olim agat, quum licitum haberetur, et hoc quidem postquam jam summam 90,000 Libr. Sted. quae in damni resarcitionem colonis praestaretur, ab Anglia accepisset.

Pactum quidem denuo inter Reginas utriusque regionis hac de re ineundum tunc visum fuit, at vero huc usque, quod scimus, contractum non est (1); mense Maji 1838 medio, Angliae in Lusitania legatus, declaravit, se serio a Portogalliae Regina postulare executionem foederum tam saepe initorum, atque simul promulgationem legis, qua Afrorum commercium tanquam piratica, morte puniendum statueretur. At vero responderunt Portogalli, Angliam non concedere indemnitatem praestandam Portogalliae, si, commercio isto abrogato, hujus coloniae intereunt (2). Porro contendebant Portogalli, se, edita lege d. 10 Decembris 1836, satis jam ostendisse, se quoque injustitiam commercii perspicere. Hujus legis executioni multa impedimenta per colonos objici, fatebantur, imo etiam, ut contendebant, per ipsos Afros, qui, uti in loco Angola dicto, professi fuerint, se abrogationem Afrorum commercii tanquam summum damnum sibi illatum considerare (3).

Mirum hoc, quod sic de Afris dicitur videri posset; attamen Principes regionum quarumdam in Africa, ita dixisse, omnino est verosimile, quia facili negotio, prehensos, vel hostes, vel captivos, vel cives ipsos suos, auro, et magna satis pecunia vel et mercibus quibusvis acceptis, vendebant servorum mercatoribus. Eorum, qui sic venduntur sententia, non curatur. Certe dissentirent!

Attamen in Anglia vehementer de mediis cogitabatur, ut cogerentur Portogalli, ad abolendum venalicium. Die

(1) Vid. *Haarlemsche Courant*, 27 Februarij 1838.

(2) Cf. *Allgemeine Zeitung*, 23 Aug. 1839, n° 235.

(3) Cf. *Allgemeine Zeitung*, 26 Jun. 1839.

8 m. Martii 1839, Nobilis PALMERSTONUS in Parlamento edictum proposuit, quo Anglicis navibus bellicis concederetur, in omnibus orbis terrarum maribus, naves Portogallicas inspicere, et capere atque ad judices deducere, quae servorum commercio inservire deprehenderentur (1).

At, hisce auditis, Minister rerum externarum in Portogallia, Baro DA RIBEIRA DE SAEROSA, Ulyssipone, die 4 Augusti 1839, notam diplomaticam edidit, quae summam peritiam auctoris et prudentiam egregie testaretur. Ostendit scilicet, pactum cum Anglia d. d. 28 Julii 1817 probare quidem navium inspectionem, sed solum ad Septemtrionem Lineae: quod pactum (insecuta lege 10 Decembris 1836) ex conditionibus contractûs remanere deberet usque ad diem 10 Decembris 1851. Idcirco, quod propositum fuerat jam in Anglico Parlamento, a juris regulis quam maxime alienum esse contendebat; Anglos, omni studio deprecans, viderent, ne vetus illa amicitia, quae Angliam et Portogalliam per saecula junxerat, sic detrimenti quid caperet (2).

Attamen eodem mense Augusto ejusdem anni, de eo argumento in Parlamento Anglico denuo vehementer disputatum fuit (3); atque paullo post Angli edixerunt de efficaciter reprimendo servorum commercio, a Portogallis

(1) Cf. *Allgemeine Zeitung*, 1839, n° 259.

(2) Malumus ipsa verba, licet ex versione Germanica, afferre. Precabatur igitur Anglorum Ministerium: « seine wohlwollendste Aufmerksamkeit, « auf dieses feindselige und unerhörte Verfahren der Brittische Regierung « zu lenken, um der folgen willen, die für Portugal und ganz Europa, « dieses neue und ausserordentliche Beispiel des groszten Gewaltmisz- « brauchs gegen eine unabhängige Souveränetät und Nation herbeiführen « kann, mit welcher freundschaftliche Verhältnisse und eine mehr als « vierhundertjährige Allianz aufrecht erhalten worden sind » Vid. *Allgemeine Zeitung* 1839, n° 259.

(3) Vid. dissertationis hujusce caput penultimum, ubi de Anglia sermo est, atque etiam *Handelsblad*, 6 Aug. 1839.

agitato, navibus inspectoriis propre littora Africae collocandis, ut ubivis Portogallorum naves suspectas inspicerent, cum jus inspiciendi naves jam diu pactis fuisset confirmatum.

Sed jam gravis litis exstitit opportunitas. Mense Novembris 1839 ad finem vergente, quaedam navis bellica Anglica inspexit cepitque navem Portogallicam suspectam, in portu Zaire, ad meridiem Lineae Aequinoctialis. Paullo post, alius Anglicus navis praefectus, Elliotus (qui jam antea duas tales naves in eodem portu merserat), aliam navem cepit, navem suspectam in portu Angola inspexit, eamque captam, Sierram-Leonam, ubi tribunal uti vidimus est constitutum, deduxit (1).

Hisce cognitis, Cortes Portogallici Mariam Reginam implorarunt, ut a Magna Brittannia satisfactionem exigeret, ob laesum jus gentium laesamque Lusitaniae dignitatem, simul profitentes se, hac agendi ratione Anglorum, liberatos esse a fide praestanda pactis, de tollendo Afrorum commercio, cum iis initis (2). Angli interim perrexere naves suspectas Portogallorum vehementer persequi. Nam ex nuncio nuper accepto e Promontorio Bonae-Spei, patet, mense Januarii 1840, prope illud Promontorium Anglos navem Portogallicam cepisse oneratam 750 vendendis servis, quos, tanquam liberos operarios, in coloniam Angli dimisere.

Haec si attendimus, fatendum est, leges et pacta haecce in Portogallia huc usque vix quidquam effecisse, et recte videntur judicavisse qui sic nuper pronunciarunt. «In no

(1) Vid. *Journal de la Haye*, du 3 Février 1840, n° 30.

(2) Vid. idem *Journal* du 4, 18 Janvier, 1, 3, 16 et 29 Février 1840, n° 4, 16, 28, 40, 41, 52. Portogalli se legem 10 Dec. 1836, serio exsequi contendunt, et Anglorum incusant praetextus, qui sic qualemcunque occasionem arripiunt mercaturae Lusitanicae nocendi. Cf. *Allgem. Zeitung*, 1840, n° 136.

«one instance recorded in the page of history, has England so tamely submitted to such repeated and infamous breaches of solemn Treaties, as those she has permitted Portugal to indulge in, in regard to the slave trade. Indeed they have been so often repeated — so openly — so wholly without excuse or precedent — that posterity will almost be led to doubt, whether England herself was in earnest in her endeavours to obtain its total abolition. Had the position of the two countries been reversed — had Portugal been the most powerful nation in Europe — and had England been the weakest, the most distracted and dependent on Portugal for its very existence as a nation, the statement we have maken relative to our negociations with her government for the abolition of the slave trade might perhaps have been natural, and such as might have been exspected. It has signified not, by whom the sceptre of that unhappy country has been wielded; whether by King — Regent Council — or Queen, the result has ever been the same — of promises we have had abundance, — of performance — alas, how little!» (1)

§ 2. *Hispania.*

Vidimus supra, jus perquirendi naves, quae suspectae haberentur prohibitum commercium agere, in plerisque pactis fuisse receptum, atque ita existimabatur commercium illud plane pessum datum iri, cum, vel plane non, vel saltem vix servi abscondi possint in nave, quae pervestigatur, et naves bellicae ad perquisitionem distinatae haud facile evitentur.

(1) Ita professus est scriptor libri saepius citati, *The foreign slave trade*, p. 11 sq.

In pacto Hispaniam inter et Angliam contracto die 23 Septembris 1817, expresse statutum fuerat, naves in quibus servi vendendi non reperirentur, nullo modo detinere licere. Sed quid tunc mercatores servorum fecerunt? A turpi commercio haud se abstinuerunt, parvi existimantes periculum, quod incurrerent, propter ingens lucrum, quod ex vetito commercio percipiebatur; nam si hoc jam olim magnum fuerat, nunc magis etiam adauctum est, propter majorem difficultatem et majus etiam periculum commercium illud agendi.

Hisce praemiis incitati, servos vendendos in navem deducebant, ibique abscondebant, donec scirent naves bellicas venturas pervestigandi causâ. Tunc cito servos in littus deponebant. Perquisitione facta, miseros Afros rursus in navem detrudebant, atque sic satis tuto eos in colonias ducebant. Satis callido hocce modo commercium agi pergebat, parvusque vel potius plane nullus perquisitionis effectus exstabat. Remedio opus igitur erat, quo malum averteretur, atque eo consilio coërcitio nova addita est pacto 23 Septembris 1817, inita inter Magnam Brittanniam et Hispaniam, Madriti die 10 m. Decembris 1822, qua extensum fuit perquirendi jus. Declararunt enim contrahentes, naves perscrutatorias in futurum etiam eas detinere oportere, in quibus certe pateat, in illo ipso itinere eum in finem instituto, adesse vel adfuisse servos vendendos, atque cum iis navibus agendum fore, uti de illis navibus, quae servos jam comprehendebant, jam antea in pacto agendum esse fuerat statutum; addito alio placito, de judicibus qui hac de re judicarent (1).

Legibus autem de tollendo Afrorum commercio a Rege

---

(1) Videatur illa conventio apud Murhard, *Nouveaux Supplemens à* de Martens, I. 606.

suo latis, obedientiam denegarunt Hispani, neque querelae Anglorum hac in re permultum efficere potuerunt. Tandem vero, die 9 m. Septembris 1834, VILLIERUS, Angliae ad Hispanicam aulam delegatus, PALMERSTONO communicacavit, Hispaniae Gubernatores jam plane agnoscere jus Magnae Brittanniae postulandi plenam foederum executionem, novum pactumque inter has gentes fuit initum, die 28 Junii 1835 (1); quo cautum, ut Hispania abolendum curet statim atque ubivis Afrorum servorum commercium, lege poenali in reos applicanda, atque probata perquisitione navium suspectarum.

Quamvis haecce placita satis egregie proposito convenire videbantur, multi tunc tamen dubitarunt, an revera quidem illa satis efficacia essent futura (2).

Proh dolor! fatendum est, eos vere suspicatos esse; nam abolitum ibi nondum est commercium illud, quod hisce proximis annis, etiam vexillo Hispanico, novo ardore agi perrexit. Ne tamen hoc nimis Hispaniae imputetur. Bella enim intestina gravissima, quibus Hispania ab eo inde die fere, ad tempus usque nostrum perturbari perrexit, effecere, ut de hoc argumento solliciti vix esse potuerunt Hispani, ad res patriae internas unice merito intenti.

§ 3. *Francia.*

Franciae Rex, quamvis fuerat professus commercium servorum humanitati repugnare, media tamen non adhibebat

---

(1) Cf. *The foreign slave trade*, p. 9.

(2) «It can scarcely be hoped, that the Spanish government, will not «break their faith in regard to this treaty, in the same scandalous man-«ner they have hitherto done with regard to all the treaties and enga-«gements, they have hitherto intered into, for the ostensible purpose of «abolishing the slave trade». Ita jam anno 1837, observatum fuit in *The foreign slave trade*, p. 10.

ad illud efficaciter reprimendum. Causa hujus rei quaerenda est, uti supra etiam observavimus quum de Congressu Veronensi diceremus, in ipsa opinione, quam universe Franci hac de re professi sunt. Leges quidem prohibitivae fuerant statutae. Sed hae inprimis conditae videntur magis ut ne fidei pactis bene multis praestandae plane deësse videretur Francia, quam ad commercium plane tollendum (1).

Nova lex prodiit anno 1823 (2). Primum videtur illa continere egregia placita. Commercium servorum, horrendum, humanitati, religioni, Franciae dignitati contrarium, proclamatur. Sed post illam ponderosam orationem, poenam expectemus severam, criminis gravitati et horrori congruam. Ast ecce, poena scribitur interdictio, qua navis magister prohibetur postea praeësse navi Francicae.

Lex alia diei 25 Aprilis 1827, exilio puniendos, qui contra agerent, statuit (3). Sed et hujus applicatio neglecta fuit et commercium agi perrexit (4).

Ita paullatim ad annum 1830 perventum est, quum multa magnaque, cum alibi, tum maxime in Francia, mutata sunt. Libertatis studium uberrimos tunc fructus habuit, et ab eo tempore, ejus regionis seria fuerunt conamina ad Afrorum servorum commercium quoque tollendum. LUDOVICUS scilicet PHILIPPUS, Francorum Rex, regno potitus, placita, conventionibus et legibus praecedentibus, quamvis sine effectu sancita, lege confirmare voluit. Ita

---

(1) « On prohibait l'importation des noirs, avec l'intention bien arrêtée « de fermer les yeux sur ce trafic ». Vid. DE GASPARIN, *Esclavage et Traite*, I. p. 234.

(2) Vid. DE GASPARIN, loc. laud.

(3) Vid. DE GASPARIN, eod. loc.

(4) « La seconde période, qui avait trouvé 200,000 esclaves dans nos « colonies, en laissa 250,000 ». Vid. DE GASPARIN, I. 235.

prodiit illa lex diei 4 m. Martii 1831, qua poenae scribuntur carceris duorum, vel et quinque annorum, si navis portum nondum reliquit; decem vero, vel et viginti annorum operae publicae, aut quinque vel decem annorum reclusio (prouti magis vel minus criminis fuere participes singuli), statuuntur, cum navis jam vela fecerit. Porro servi in navibus captis reperti, liberi fiunt suique juris, licet per septem annos Franciae operas praestare debent (1).

Lex ita bene constituta omni cura fuit executioni mandata, quamvis coloniae saepe strenue resistebant, ut e. g. in insula Borbonica, ubi Consilium, propter sententias patefactas, dissolutum fuit.

Anglia autem, quae tam saepe frustra cum Ludovico XVIII et Carolo X, consilia sua persequi tentaverat, faustos sic eventus conaminum sperare suorum poterat. Denuo sic de tollendo Afrorum servorum commercio, pactum inter hasce gentes initum fuit Parisiis, die 30 Novembris 1831 (2). Tandem jus naves perquirendi, de quo tam saepe disputatum fuerat, Francia, quamvis coarctatum, agnovit (3). Cae-

(1) Egregie de ea lege dicit de Gasparin, I. 235. «Cette loi veut réellement la répression de la traite, et elle employe des moyens sérieux «pour y parvenir.» Cf. de Martens, *Suppl.*, XIV. 367.

(2) Cf. de Martens, *Suppl.*, XIII. 544. *Journal des Débats*, du 26 Janvier 1832, et du 31 Août 1833. *The foreign slave trade*, p. 7.

(3) Art. 1 enim statuitur. «Le droit mutuel de visite peut être exercé «à bord des vaisseaux de chacune des deux nations, mais seulement dans «les eaux dont la désignation suit.

«1°. Le long des côtes Occidentales de l'Afrique, depuis le Cap Verd, «jusqu'à une distance de 10° de l'Equateur, c'est à dire depuis le 10° de «latitude Nord, et jusqu'au 30° de longitude Ouest, Méridien de Paris.

«2°. Tout à l'entour de l'ile de Madagascar à une distance de 20 «lieues en mer.

«3°. A pareille distance des côtes de l'ile de Cuba.

«4°. De l'ile de Porto Rico, et

«5°. Du Brésil.

«Il est cependant entendu, qu'un vaisseau suspect, qui aura commencé

terum, de navibus suspectis, de bellicis navibus quae suspectas persequerentur, de judicibus, etc. pleraque statuebantur, uti in pactis cum Hollandia, Hispania, Suecia, caeterisque.

Accessit denique conventio cum Anglia, quae tanquam supplementum foederis praecedentis, die 22 m. Martis 1833 fuit inita (1), in qua latius de pervestigandis, captis, atque dijudicandis navibus convenitur. Praestita tamen foederibus fide, et rei bene cupiens, nunc etiam Francia, uti jam antea Hollandia, promisit se operam daturam esse ut eadem placita alii etiam populi probarent. Pactum scilicet, die 30 Novembris 1831 cum Anglia conventum, statuebat ut aliae etiam gentes, quae naves bellicae possidebant, ad pactum probandum invitarentur (2).

Ita primum Angli atque Franci juncti, se ad Daniam converterunt, quacum, die 26 m. Julii 1834, pactum est initum (3), quo Dania accessit ad ea, quae ad tollendum Afrorum commercium servorum, in aliis foederibus recepta fuerant.

Idem quoque foedus a duobus junctis populis cum Sardiniae Rege fuit initum, die 8 Augusti 1834 (4). Peculiare tamen hujus foederis est placitum, naves Sardinicas vel vexillo Sardinico insignes, capias, esse deducendas in portum Genuensem, et ibi de iis sententiam a judicibus ferendam esse, cujusmodi judicia caeterum semper in ipso

---

« à être chassé par les croiseurs, pourra être poursuivi par eux, si sans « jamais l'avoir perdu de vue, ils le joignent à une plus grande distance « des côtes. »

(1) Cf. de Martens, *Suppl.*, XIII. 549.

(2) « Les hautes parties contractantes au présent traité inviteront les « autres puissances maritimes à y accéder, dans le plus court délai pos- « sible. » Art. 9.

(3) Cf. de Martens, *Suppl.*, XVI. 713.

(4) Cf. de Martens, *Suppl.*, XVII. 194.

litiore Africano, vel in ipsis coloniis haberi solent. Illud placitum tamen postea fuit mutatum, ut mox videbimus in paragrapho in quo de Sardinia dicere constituimus. Ita pariter die 21 m. Maji 1836, Francia pactum de tollendo servorum Afrorum commercio, cum Suecia inivit (1).

Parisiis etiam, inde a die 15 Decembris 1834, uti in Anglia jam diu adfuit, exstat Societas peculiaris, cujus munus est omnem operam intendere ad tollendum Afrorum servorum et commercium et servitutem. In convivio, in honorem delegatorum Anglici Sodalitii eodem consilio instituti, Parisiis habito, die 10 Februarii 1840, praeside ODILLONO BARROTO, poëta atque orator spectatissimus, LAMARTINIUS, palam professus est erravisse, quotquot contenderant olim, commercium servorum tantâ curâ tollendum curasse Anglos, ut coloniae aliarum gentium pessum darent, suasque florentiores redderent (2). Sic tandem Franci etiam, nobiles Anglorum conatus justo pretio existimant.

At revera tamen commercium agi pergit, non quidem navibus aut vexillis Francicis: nam haec res poenis satis severis est impedita. Sed invectio servorum in colonias Francicas nunquam cessavit, quia media quibus haec impediatur huc usque desunt, atque emancipatio ibi nondum est recepta (3).

§ 4. *Patria nostra.*

Die ultima anni 1822, Angliam inter et Hollandiam novum pactum (4) fuit initum, ejusmodi plane ac illud, quod versus idem tempus Anglia cum Hispania contraxerat, uti et utriusque ineundi eaedem erant rationes. Paullo post,

(1) Vid. *le Moniteur* du 17 Septembre 1836.
(2) Vid. *Nederlandsche Staats-Courant* van 15 Febr. 1840, n° 40.
(3) Cf. DE GASPARIN, Op. cit., I. 236.
(4) Vid. MURHARD, O. c. I. p. 610. *The foreign slave trade*, p. 19.

die scilicet 25 Jan. 1823, additamentum accessit de navibus retinendis, quae perquirendae viderentur propter modum, quo essent instructae vel distributae, vel propter majorem copiam aquae, oryzae, vel similis cibi, vel etiam propter numerum ciboriorum, qui necessarium excederet, si scilicet magister navis ostendere haud possit, haecce omnia ad quoddam licitum commercium agendum ita esse comparata; nam deficiente ejusmodi probatione, navis erat habenda tamquam ad servorum commercium instructa, atque ita justa ejus foret prehensio atque ad judices deductio (1).

Uti jam vidimus, lex fuerat condita apud nos die 20 Nov. 1818. Cum tamen hujus effectus non videretur proposito satis favere, atque propter pactum recenter initum, nova etiam lege opus videretur, Rex iterum concioni Ordinum Generalium, mense Novembri 1824 initio, specimen legis obtulit (2). Post nonnullas deliberationes, lex recepta fuit die 23 mensis Decembris ejusdem anni. Continet poenas multo graviores quam antea statutas. Mulcta 5,000 florenorum, in duplum, carceris inclusio per 5 annos, in operas publicas 15 annorum, aucta fuit. Exceptio constituta arctioribus limitibus includebatur, cum servorum importatio ex coloniis, ubi directe ex Africa inducebantur, foret prohibita, etc. (art. 3) (3).

Si excipimus legem, qua statutum de lucro, quod posset iis cedere, qui navem ejusmodi prehenderant, quae lex data fuit Bruxellis, die 10 Martii 1825 (4), nulla amplius lex prodiit, qua poenis coërceretur servorum commercium. Videtur idcirco proposito respondisse. Ita certe habemus, quod gaudeamus, conamina abrogandae turpis illius mer-

(1) Vid. Murhard, O. c. I. 612 sqq. *The foreign slave trade*, p. 19.
(2) Vid. *Staats-Courant*, 17 Nov. 1824, n° 272.
(3) Vid. *Staatsblad* voor 1824, n° 75. Murhard, O. c. II. 425.
(4) Vid. Murhard, II. 430.

caturae tandem felici eventu coronata esse, et Patriam nostram primam fere regionem fuisse, quae Anglorum nobilissimis hac in re votis, plene obsequi non recusavit.

Neque tamen hic substitit Rex noster. Foedus scilicet, die 1 m. Maji 1829, cum Republica Columbia initum (1), placitum continet 22um, quo de ulterius tollendo servorum commercio partes conveniunt (2).

Quamvis omnino, uti diximus, nobis fas sit credere, non amplius agi a civibus nostris servorum commercium, quo directe ex Africa servos in colonias importantur, neque vexillo nostro neque extraneo, agi tamen illud semper adhuc in ipsis coloniis haud diffitemur, sed neque illud pactis est contrarium. Gubernator coloniae Surinamensis, die 26 Octobris 1830, edidit decretum de exportatione servorum ex coloniis Hollandicis in extraneas prohibenda, praemio proposito iis, qui licito modo servos importarent (3).

Haec de America. Longe alia certe in Asia et possessionibus nostris Asiaticis juris. Scilicet, Art. 104us Ordinationis de Regimine in illis coloniis, die 26 Sept. 1836, ibi plane prohibet servorum commercium, eorumque invectionem.

Caeterum, die 7 Februarii 1837, conventio inita fuit a Patria nostra cum Anglia, quae proponitur inprimis tamquam pacti d. d. 4 Maji 1818 supplementum. Sic statutum est, naves servorum commercium exercentes captas, posthac non

---

(1) Vid. DE MARTENS, *Suppl.*, XIII. 576. *Staatsblad* voor 1829, n° 6. MURHARD, II. 520.

(2) « Bijaldien in het vervolg blijken mogt, dat de thans bestaande ver-« ordeningen op het stuk van den slavenhandel niet toereikende zijn, om « de Nederlandsche en Columbiaansche schepen te beletten aan den-« zelven deel te nemen, verbinden de contracteerende partijen zich, ge-« meenschappelijk te overleggen, welke middelen het verder in dezen « nuttig zoude zijn aan te wenden. »

(3) Vid. *Handelsblad*, 1831, n° 3.

amplius venditum iri in commodum utriusque regionis, licet id eo tempore, quo caperentur, juris esset. Naves scilicet illae jam primum sunt demoliendae ut, deinde, diversis locis atque temporibus, ejus partes venditum exponantur (1).

Denique decreto diei 8 Julii 1838, in India Occidentali nostra, sanciri quidem perrexit servorum invectio ex coloniis, quo Afri servi non directe ex Africa invehuntur, attamen non nisi venia in hunc finem expresse a Gubernatore impetrata. Poena scribitur mulctae 1,000 florenorum in eos, qui contra agunt (2).

Mos quoque in possessionibus nostris in littore Guineae, paucis abhinc annis invaluit, ex ea exportandi Afros, qui vel liberi vel ex servitute redemti, tanquam volones in India Orientali militant (3). Dubitatum vero saepissime fuit, an quidem omnes illi lubentes ita arma gerant; certe pro militibus habentur, non pro servis.

Licet autem in Americanis nostris coloniis, importatio non omnis sit prohibita, Angli tamen, quibus hujus cura est mandata, in eo conveniunt, Afrorum commercium fausto eventu a Rege nostro esse prohibitum (4).

§ 5. *Dania.*

Daniae Rex, uti jam in doctissima disputatione Cons. Nedermeyeri indicatum est, anno 1794, commercium servorum prohibuerat. Effectu vero pleniore hocce edictum caruit, quo circa aliud anno 1804 successit.

Porro ex articulo pacis Kiliae conditae die 14 Januarii 1814, Rex Daniae ad tollendum commercium se obstrinxit,

---

(1) Cf. *Handelsblad*, 17 April 1837, n° 1701.

(2) Vid. *Amsterdamsche Courant*, 1 Augustus 1839, n° 180.

(3) Vid. *Handelsblad*, n° 2455.

(4) Vid. *Appel sur l'esclavage et la traite des Nègres*, etc. p. 11.

quae res tamen exitum vix ullum habuit. Cum vero anno 1834, Franci se cum Anglis junxissent, ad pacta a gentibus maritimis de servorum commercio tollendo, impetranda, de inspectione navium cum Dania quoque (uti jam supra vidimus pag. 72) pactum iniere, die 26 Julii 1834.

Non est quod dubitemus de seria voluntate Danorum praestandi pactorum fidem. Attamen mense Aprili hujus anni ineunte, regius Praeses in insula St. Thomas, Magensius, Regi suo declaravit, clam adhuc agi ibi ingens Afrorum servorum commercium. Dicuntur nonnullae harum navium, vexillo extraneo utentes, jam ab Anglicis navibus bellicis fuisse captae. Quo nuncius eo magis omnes advertit, quum culpa omnis conjiceretur in magistratum quemdam Danicum ipsum, Scholtenum, qui tam horrendo modo, potestate sibi concessa fuerit abusus (1).

Praeter hocce nefarium exemplum, dici potest nullum servorum commercium vexillo Danico agi, licet in parvis eorum coloniis emancipatio servorum nondum sit recepta (2).

§ 6. *Suecia et Norvegia.*

Sueciae Rex in communem utilitatem omnem operam conferre se velle, quo citius servorum Afrorum mercatura, hoc humani generis flagitium, penitus tollatur, declaravit (3). Pactum id testatur, die 3 m. Martii 1813, a Sueciae Rege cum Anglia initum, atque principia omnino egregia hu-

(1) Plebs quoque Danica in urbe Hafnia, egregie ostendit, quomodo de re sentiat. Cum enim ambo, Magensius et Scholtenus, in illa urbe adessent, vespertino tempore, ingens turba se primum ad domum accusatoris Hagensii contulit, eumque *vivat* clamans salutavit, cum infaustum *τὸ pereat*, alteri detulerit turba. Vid. *Allgem. Zeitung*, 1840, n° 118, p. 941, 942.

(2) Cf. *Appel* etc. p. 11.

(3) Vid. Nedermeijer van Rosenthal, *Diss. laud.*, p. 189.

jusce Regis ministri in Congressu Viennensi fuerunt professi (1). Mirum videri possit autem, Suecos, qui saltem ipsi nullam fere coloniam possident in qua servi adsint, tamen unquam servorum commercium egisse. Sed auri sacra fames et magna lucra, quae commercium hocce semper fere praestat, eorum mercatores impulerant. Leges, die 16 m. Martii 1792 (2), atque die 7 m. Februarii 1823 (3), a Regibus CAROLO XIII, atque ab ejus successore CAROLO JOANNO, de prohibitione commercii hujusmodi a Suecis acti, latae, efficacitate carere Anglis sunt visae. Novum idcirco pactum condendum esse, Parlamentum Anglicum statuit, quod et revera die 6 m. Novembris 1824, Stockholmiae conventum fuit (4). Hocce foedere Sueciae Rex se obstringit ad efficacius prohibendum, intra sex menses, servorum commercium, vel a subditis suis, vel vexillo Suecico ab exteris, actum (5). Interim leges modo citatas se tuiturum promittit. Novo foedere jus naves suspectas perquirendi, utriusque gentis navibus bellicis, locis tamen nonnullis exceptis, conceditur (6). Eadem porro statuta fuerunt, quae ex pactis citatis, e. g. cum Patria nostra, exhibuimus. Dicere itaque sufficiat, omnia in hocce foedere fuisse recepta, quae eo usque ad repressionem horrendi commercii optime convenire visa fuerant.

Accessit multis annis post, conventio de demoliendis omnibus captis navibus venaliciis, d. d. 15 Junii 1835 (7), qualem quoque Angliam cum Hollandia postea convenisse, supra vidimus. Denique accessit etiam, de tollendo Afro-

(1) Vid. supra, cap. 2.
(2) Vid. DE MARTENS, *Suppl.*, X. 635.
(3) Vid. DE MARTENS, *Suppl.*, X. 634.
(4) Vid. DE MARTENS, *Suppl.*, X. 618.
(5) Articulo foederis primo.
(6) Articulo tertio.
(7) Vid. *The foreign slave trade*, p. 20.

rum commercio foedus cum Francia atque Anglia, diei 21 Maji 1836 (1), nihil novi continens, nisi admissam navium pervestigationem a navibus bellicis quoque Francicis, quae versus illud tempus apud alias etiam gentes fuerat recepta.

De feliciter nunc saltem apud Suecos sublato calamitoso illo commercio, jam omnes conveniunt (2).

§ 7. *Russia, Austria, Borussia.*

Harum regionum summi Imperantes, declarationibus editis in Congressibus Viennae, Aquis-Granensibus atque Veronae habitis, etiam se obstrinxerant ad favendum conatibus abolendi servorum Afrorum commercii. Facile profecto iis erat tale quid statuere, cum nulla adesset ratio, propter quam contrarium iis placeret.

Ita, quamvis ipsi Russi, legibus commercium Afrorum servorum vetantibus, lubentes obsequium praestabant, qui nunquam etiam ei mercaturae studiose dederant operam, quia ipsi nullam coloniam possidebant in qua servis esset opus, saepe tamen naves vexillo Russico abutentes, commercium servorum agebant; quod callide omnino erat excogitatum. Nam cum jus naves pervestigandi Russicas, nullo cum Russia inito foedere, Anglis esset concessum, naves tuto vela faciebant, servos advehentes in colonias aliarum gentium. Abusu tamen cognito, Russiae Imperator mandavit Consulibus suis in praecipuis Europae portibus constitutis, publice profiteri, constare omnino de eo, quod mercatores extranei vexillo Russico abusi fuerint ad tuendum servorum commercium. Sed jam a die publicati de-

(1) Cf. *Moniteur* du 17 Sept. 1836.

(2) Cf. *Appel sur l'esclavage et la traite des Nègres*, etc. p. 11.

creti inde, nulli mercatori esse licitum illo vexillo uti, sine expressa venia a Russicis magistratibus impetrata. Qui autem tunc etiam et postea, servorum commercium agentes a navibus bellicis deprehendentur, juste punientur, neque ad tutelam vexilli Russici, poterunt amplius provocare (1).

Quod ad Austriam attinet, in Codice Civili placita occurrunt, omnes homines in Austria liberos, atqui igitur illicitam servitutem, declarantia; quae confirmat decretum diei 7 Augusti 1826 (2), quo quisque servus qui terram Austriacam tangit, declaratur liber. Secundum ipsum hoc decretum praeterea, quisque Afrorum mercator, vel ejus commercii fautor, prouti magis minusve hujus mercaturae fuit particeps, punietur poena carceris per quinque, decem aut viginti annos. Caeterum omnes laesiones servo Afro illatae aequiparentur iis, quibus Europaei vel liberi affici possunt, et sic etiam sunt vindicandae.

An in Borussia quoque placita prodierint servorum Afrorum commercium plane vetantia, ignoramus. Sed in *allgemeines Landrecht für die Preussischen Staaten*, II. 5. § 196, servitutem ibi exstare posse denegatur (3), quod placitum in omnibus fere hodiernis Codicibus Civilibus est receptum.

Caeterum quod ad has tres gentes attinet, in opusculo saepius citato (4) legimus: «In the several conferences «which have been held, and on other occasions, the Sou«vereigns of Russia, Austria and Prussia, have always «been ready, to co-operate with the British government,

---

(1) Edita haec declaratio fuit Amstelodami atque Roterodami die 2, Hamburgae die 5 Januarii 1836. Vid. DE MARTENS, *Suppl.*, XVII. 534.

(2) Cf. MURHARD, *Nouv. Suppl.*, II. 470.

(3) Cf. v. cons. G. C. FALCK, *Diss. de servo libertate donato si Europae solum attigit.* Amst. 1834. p. 46.

(4) *The foreign slave trade*, p. 20.

«for the final suppression of the slave trade, and a ne-«gociation is now (1837) pending with them, which «there is every reason to expect, will terminate in their «accession to the two conventions recently concluded be-«tween Great-Britain and France, for that purpose.»

Attamen quoad scimus, haecce exspectatio eventu adhuc est destituta, et illae tres gentes, ut verum fateamur, revera credendae sunt jam satis effecisse.

§ 8. *Sardinia.*

Uti Daniae, Sardiniae quoque Rex consiliis de tollendo Afrorum commercio favens, pacto cum Anglia atque Francia sententiam confirmavit (1). Indicavimus supra etiam peculiare placitum de loco, in quem naves captae sint deducendae. Sed paullo post, die 8 Decembris 1834, de ipsis hisce locis nonnulla in pacto mutata fuere (2), cum plerumque loci ubi naves capiebantur, nimis essent ab Europa remoti, quam ut facile deduci eo possent. Afri etiam in portum Genuensem depositi, multis difficultatibus ansam possent praebere. Statutum igitur fuit simpliciter, ut Genuenses naves aeque ac aliae deducerentur, atque dijudicarentur in littore Africae, vel in America.

§ 9. *Regiones Papales.*

Ecclesiae Romano-Catholicae summus Pontifex Gregorius XVI, quoque, versus finem anni praecedentis, tollendum Afrorum servorum commercium aperte jussit. Tanquam Dei Vicarius in Epistolis Apostolicis d. d. 3 Decembris 1839,

(1) Vid. supra, pag. 72.

(2) Cf. de Martens, *Suppl.*, XVII. p. 206.

profitetur, servorum commercium crimen esse Summi Numinis consiliis vehementer contrarium. Enarrat conamina jam a praedecessoribus nonnullis hac in re adhibita. Citat Epistolam Apostolicam Pii II, d. d. 7 Octobris 1462: aliam Pauli III, 29 Maji 1537, ad Episcopum urbis Toledo: aliam Urbani VIII, mense Aprili 1639 missam ad Collectorem Jurium Camerae Apostolicae in Portogallia: alias denique Benedicti XIV, versus annum 1750 editas, quibus commercium servorum universe damnatur et severe vindicatur. Epistola Pontificis Gregorii XVI, eximiam omnino ita se praestat, etiam propter argumenta historica ex ipsa Papali regione allata (1).

Quodsi quaerat quis, quid effectura sit haec Epistola, dubitamus magnam ejus efficacitatem fore, cum jam praecedentes Papales de hoc argumento litterae vix quidquam effecerint. Sperandum tamen est fore ut Hispania, Portogallia atque Brasilia, quae Pontificum votis haud parum obsequentes se olim caeterum praestiterunt, nunc certe iis obsecuturae sint.

§ 10. *Africa.*

Supra (2) jam vidimus, Angliam pacta iniisse cum Radama, Madagascarae insulae Rege, quibus venalicium tollendum decernebatur. Aliud etiam foedus de argumento eodem inter hasce paciscentes initum est, die 31 m. Maji 1823. In eo fatebantur partes ambae, se fideliter observasse atque executioni mandasse placita in pactis praece-

---

(1) Insigni benevolentia v. d. J. W. Holtrop, Regiae Bibliothecae praepositi, qui nobis apographum harum Epistolarum Apostolicarum a Pontificis Nuncio, Antonucci, acceptum, misit, possumus illas integras referre. Videatur ergo appendix hujus dissertationis sub litt. C.

Versio Belgica invenitur in *Handelsblad*, 7 Maart 1840, n° 2601.

(2) Capite III. § 5, p. 41—44.

dentibus statuta, et Madagascaranum populum sic magna fecisse cultûs atque humanitatis incrementa. Sed pergendum erat: scilicet, omnia erant evellenda per quae fortasse Nigrorum commercium in posterum resurgere posset. Navibus idcirco bellicis Anglicis concessum fuit, omnes naves suspectas, quae prope insulae littora invenirentur, inspicere atque deducere ad eos, quibus Rex RADAMA, de iis judicandi munus tradiderat. Servi autem in illis navibus reperti, si Madagascarani erant incolae, in libertatem erant vindicandi: si peregrini, qui facile in patriam possent reduci, in eam dimittendi: si longius vero eorum regio patria aberat, militiae regionis adscribendi erant (1).

Itaque, nisi aboletum fuerit ibi servorum Nigrorum commercium, ex insula evectio tamen plane fuit prohibita. Ingens profecto auctoritas, quam Anglia in illis maris tractibus exercet, spes praemiorum, et timor irae Anglorum, nisi horum votis facilem se praeberet, Regem RADAMAM incitaverunt, ad eorum etiam abrogationem confirmandam, ex quibus magnum lucrum sibi olim comparabat. Ut ut est, semel praestita promissa, fideliter servavit barbarus Rex, neque postea amplius cum eo de hocce actum fuit, unde omnino efficere licet, apud hunc saltem Angliam sua proposita attigisse.

§ 11. *Respublica Foederata Americae Septemtrionalis.*

Questi saepissime Angli fuere, in illa civitate male executioni mandari edictum Congressûs d. d. 5 Maji 1820, quo Afrorum servorum commercium tanquam piraticam maritimam morte esse puniendum, fuerat constitutum, magnumque agi adhuc Afrorum ab Americanis mercatum. Recu-

(1) Vid. MURHARD, II. 397.

sarunt tamen illi, qui Rempublicam administrabant, eorum votis obtemperare, uti etiam anno 1835 noluerunt pactum cum Anglia atque Francia junctis de hoc inire, veluti Suecia aliaeque regiones fecerant (1).

In illo pacto enim inspectionis jus Fanciae, aeque ac Angliae concedebatur, quod semper Congressus Americanus probare denegavit, quia ita forte timebat ne Angli, potestate sua increscente, illegitimam custodiam in omnes naves mercatorias exercerent.

Tempore nostro quoque, observant Angli, jus naves perquirendi sibi ab Americanis non esse concessum. Nam eodem decreto, quo, uti infra videbimus, jussa fuere data ducibus navium bellicarum, ad strenue Portogallorum naves ubivis perquirendas, iis quoque mandatum fuit, nullam navem Americae Septentrionalis detinere, licet suspecta habeatur (2).

Quod tamen mirum videtur, mense Januario 1840 ad finem vergente, in coetu Delegatorum placitum est receptum hujusmodi: nullam petitionem acceptum iri de Afrorum commercio, neque de eo etiam esse agendum. Sed causa additur, quae coetum ad talia constituenda impulit. Se sperat enim ita liberam fore a conatibus Abolitionistarum, qui jam tam saepe in concione gravissimas turbas excitaverant (3).

Ita tamen vidimus, importationem Afrorum ibi puniendam esse; an revera puniatur alia longe est quaestio, cui affirmando respondere veritati foret contrarium, uti in ultimo hujus scriptiunculae capite videbimus. Inprimis vero in ipsis regionibus Americae Foederatae, internum hujusmodi commercium agi pergit. Nam cum provinciae Sep-

(1) Vid. litterae de hoc missae a Ministro Francico RIGNIJO, Comiti GRANVILLIO, Anglico legato, in *The foreign slave trade*, p. 22.

(2) Cf. *Haarlemsche Courant*, van 22 Februarij 1840, nº 23.

(3) Vid. *Nederl. Staats-Courant*, van 29 Febr. 1840, nº 52.

temtrionales ante aliquot annos emancipationem servorum receperint, Meridionales hocce exemplum sequi strenue denegarunt. Ita domini servorum in Septemtrione, servos suos ad Meridiem deducunt, ubi magno satis pretio eos vendendos curant. Hocce commercium internum quoque impediri non potest, nisi emancipatio servorum ibi ubivis sit recepta.

§ 12. *Brasilia.*

Brasilia, regio semper fuerat, in quam maximus servorum ex Africa directe deductorum numerus importabatur, neque de tollendo servorum commercio cum Anglia pacta est, quamdiu adhuc Portogalliae erat subjecta. Postquam autem in libertatem Brasilia se proclamaverat, Anglia est ab ea commercii istius abrogationem impetrare conata. Sic conventio inita fuit die 23 Novembris 1826 (1), ut confirmarentur anteriora de servorum Afrorum commercio prohibendo placita. Obstrinxit tunc se Petrus, Brasiliae Imperator, ad prohibendum commercium inde ab initio anni 1830, atque se illud praedationis maritimae instar capite puniendae, habiturum esse, promisit. Paullo post initium anni sequentis, ejus, quo Afrorum servorum invectio prohibita esse debuerat (1830), Coetus Legislatorius praeter bene multa alia statuit, servos Brasiliam ingressos statim fore liberos (2), quo placito bene observato, Afrorum commercium nullum amplius lucrum attulisset. Attamen res eodem loco, quo antea, manserunt. Palmerstonus enim, Anglico Ministro in Brasilia, die 7 Maji 1833, mandavit, Coetui Legislatorio Brasiliensi communicare, leges prohibitivas huc

---

(1) Cf. de Martens, *Suppl.*, X. 1087. Murhard, Op. cit., II. 476. *Diplomatisches Archif für die Zeit und Staaten Geschichte*, vol. XVIII, pag. 232.

(2) Cf. *The foreign slave trade*, p. 17.

usque nihil effecisse, atque se ideo sperare fore ut nova eaque aptiora media, sit adhibiturus. Summa ira incitatus Coetus Brasiliensis, hacce epistola perlecta (1), recusavit aliquid amplius hac in re perficere.

Die quidem 27 Julii 1834 (2), tres articuli additi fuerunt pacto cum Anglia a Brasilia inito, die 23 Novembris 1826. Sed Coetus Legislatorius iterum, die 28 Octobris ejusdem anni, strenue sanctionem negavit novis legibus, quibus poenae severiores in Afrorum servorum invectionem statuerentur.

Ita ut vidimus fidem nullam pactis de venalicio praestari apud Portogallos, ita neque apud Brasilienses quidquam effecerunt. Jus perquisitionis tandem Brasilienses Anglis concesserunt, ubicunque naves suspectas reperirent (3). Attamen hodie adhuc vexillis bellicis cum Brasiliensi tum extraneis, in Brasiliae portus invehi constat numerus incredibilis servorum. Ibi est novorum Afrorum servorum receptaculum, unde facile ad alias colonias deducuntur; et quod naves permultae quotannis ab Anglis capiantur, ne id quidem potuit impedire, ne quotannis navium id commercium agentium numerus crescat. Questi de hac re saepe fuerunt Europae populi; questus est nuper Broughamus, in

---

(1) «My letter was officially communicated to the Assembly, and read «to them by the minister, Aureliano, at the same time that he recom-«mended to their adoption some other measures connected with the more «effectual suppression of the slave trade. But the minister and all his «communications, were, unfortunately upon this occasion, equally ill «received: and the reading of my letter served only to call forth a vio-«lent attack upon the government, for listening to foreign dictation, and «upon Great-Britain for presuming to give advice to Brasil.» Ita fassus est legatus Anglicus, in nuncio ad Palmerstonum, d. d. 15 Oct. 1834. Vid. *The foreign slave trade*, p. 18.

(2) Idem opus, loc. laud.

(3) Cf. *Revue Etrangère de Législation*, vol. VI. p. 319.

Parlamento Anglico, de Brasiliensis Imperatoris perfidia. Sed nihil haec effecerunt (1).

§ 13. *Respublicae Americae Meridionalis.*

Supra, in capitis III[i] penultimo paragrapho vidimus, quo statu res essent quoque in America Meridionali, usque ad annum 1822, quasque civitates vel servorum Afrorum invectionem, vel totam servilem conditionem dirimendam censuerint. Nunc quoque restat ut dicamus de hisce conatibus, ad nostrum tempus usque perductis. Primum videamus de provinciis, nomen fluminis la Plata ferentibus.

Pactum hae contraxere cum Magna Brittannia, die 2 m. Februarii 1825, de commercio atque navigatione utriusque populi (2). Celeberrimus CANNINGIUS, qui eo tempore ministerio Anglico praeërat, ipse egregius servorum libertatis fautor, sua consilia in omnibus quae susciperet negotiis, persequi conabatur, atque ejus auctoritati profecto etiam debetur art. XIV[us] hujusce pacti (3), quo Provinciae illae Unitae se quoque ad abolendum servorum commercium obstringunt. Placitum est, cujusmodi in hocce foedere sperari vix potuerat, cum ageretur cum regione, cui servis revera esset opus. Fatendum tamen simul est, pactum et ibi parum effecisse.

---

(1) Vid. porro, quoad praesentem servorum invectionem in Brasiliam, caput quod agit de praesenti Afrorum mercatûs conditione.

(2) Cf. DE MARTENS, *Suppl.*, X. 670.

(3) «His Britannick Majesty being extremely desirous of totally abo-«lishing the slave trade, the United Provinces of Rio la Plata engage «to co-operate with his Britannick Majesty, for the completion of so «beneficent a work, and to prohibit all persons inhabiting whithin the «said United Provinces or subject to their jurisdiction, in the most effec-«tual manner and by the most solemn laws, from taking any share in «that trade.» Cf. DE MARTENS, *Suppl.*, X. 682.

Columbiana Respublica principia, quae lege d.d. 19 Julii 1821 fassa fuerat, servans, cum Anglia foedus iniit de amicitia, commercio et navigatione communi, die 18 m. Aprilis 1825 (1), cujus articulo XIII°, quoque ad commercium servorum Afrorum tollendum Columbiae magistratus se obstrinxerunt. Sed nihil fere sic perfectum est. Certe, si sincerum esset Americae Meridionalis populorum consilium commercium servorum abrogandi, male rem curaverunt. In foederibus enim multis, quae inter se inierunt, de eo tollendo mercatu mentio nulla occurrit. Semper de ea re illa pacta tacent (2); solum de eo commercio abrogando sermo est in iis cum Anglia, atque Patria nostra initis. Fatendum autem est, iis regionibus difficile esse negotium, statim mutare omnem modum, quo agri colebantur; nam cum servis tantum coli hi solerent, integra agricultura mutanda foret, servis sublatis.

Quae de caeteris pactis animadvertimus, etiam sunt dicenda quoad foedus, die 1 Maji 1829, a Patria nostra cum Columbia initum, quod § 4° jam retulimus.

Qui summum imperium in Mexicana regione exercebant, die 13 mensis Julii 1824, edictum promulgarunt vetans servorum commercium. Quaeque navis venalicia, deprehensa atque capta in portu ejus regionis, Mexicana aut extranea, publicetur; rei puniantur carcere per 10 annos, atque servi in nave reperti, statim ipso facto liberi fiant (3).

Porro in mercaturae foedere cum Anglia, die 26 De-

---

(1) Cf. DE MARTENS, *Suppl.*, X. 740, et MURHARD, Op. cit., II. 431.

(2) E. g. pactum inter Columbiam et Provincias Unitas Americae Centralis, diei 15 Martii 1825. (DE MARTENS, *Suppl.*, X. 698.) Idem inter Columbiam et Americam Septemtrionalem, 3 Octobris 1824, (DE MARTENS, *Suppl.*, X. 984.) caeteraque.

(3) Cf. *The foreign slave trade*, p. 23.

cembris 1826 inito (1), occurrit articulo XV°, placitum de conatibus intendendis a Coetu Delegatorum in Mexicana Republica, unâ cum Angliae Rege, ad plane tollendum servorum commercium, unde efficere licet decretum supra citatum non satis effecisse.

In regione Guatimala vocata, servorum commercium fuit vetitum, edicto diei 17 Aprilis 1824.

Civitas Buenos-Ayres, melius de re sentire omnino videbatur; nam, jam inde ab anno 1812, vetitam importationem Afrorum (cum perciperet, se ab illa minime mercatores abstinere), severius puniendam censuit, atque igitur, die 15 m. Novembris 1824, tanquam piraticam maritimam eam habendam esse atque vindicandam, decrevit. Multis querelis vero haecce lex ansam praebuit, atque septem annis ferme elapsis, initio scilicet anni 1831, concessa fuit venia importandi servos, quasi famulos. Anglicus vero in illa regione Consul, ostendit hacce venia abuti mercatores, atque revera veterem importationem reviviscere, quod quoque perspicientes Buenos-Ayrenses, veniâ in posterum negatâ, mense Novembri 1833, veteres leges prohibitivas denuo confirmarunt. Anno 1835 quoque, ibi actum est de pacto cum Anglia atque Francia de hoc argumento ineundo (2).

Alia etiam in Meridionali America civitas, Fernambuco, mense Julio 1824, decretum edidit, quo suspendebatur servorum commercium, donec Coetus Legislatorius pronunciasset, essetne illud tolerandum, nec ne (3). Quomodo Coetus ille de re sentierit, ignoramus. Probabile tamen est, illum abrogationem commercii Afrorum jussisse, sed

---

(1) Cf. DE MARTENS, *Suppl.*, XI. pag. 80.

(2) Cf. *The foreign slave trade*, p. 24.

(3) Cf. idem libellus, p. 23.

male postea rem curasse, cum omnes Meridionalis Americae civitates ita egerint.

Minime etiam sustulit servorum Afrorum commercium, decretum prohibitivum in regione Peru, diei 12 m. Augusti 1822, quod liberos proclamat omnes ex servabus natos inde a die 28 Julii ejusdem anni. Attamen Consul Anglicus in illa regione jussa accepit, d. d. 13 Novembris 1835 a PALMERSTONO, ut iniret de eo argumento foedus, quod huc usque in lucem non prodiit.

Una restat, de qua videamus, Respublica, Monte-Video scilicet. Cum et haecce quoque in libertatem se vindicasset, constitutionis suae art. 131° plane prohibuit servorum invectionem inde a die 10 Septembris 1829. Quum autem e Brasilia libera facta, multi incolae in hanc Rempublicam migrarent, sua secum bona ferentes, et in iis bene multos servos (quod Coetus Monte-Videanus permiserat), coepere Brasilienses mercatores novos servos occulto quodam modo ex Africa invehere, et sic nova lex promulgata est, die 26 Martii 1832, qua servorum commercium illicitum declaratur (1). Attamen parum illam mercatores curarunt, quo circa, die 23 m. Julii 1835, Anglicus Consul, HAMILTONUS, declaravit se nihil posse efficere, cum plerique incolae servorum mercatui faverent. Anno 1839, Consul MANDEVILLIUS ad Ducem Monte-Videanum, RIBERAM, missus fuit ut conaretur aliquid in re impetrare (2). Sed qua fortuna hic usus fuerit, ignoramus.

---

(1) Cf. *The foreign slave trade*, p. 24, 25.

(2) Cf. *Allgemeine Zeitung*, 24 April 1840, n° 115.

Caput Sextum.

DE ANGLIAE CONATIBUS ABROGATIONEM IMPETRANDI SERVORUM COMMERCII.

De Anglia peculiariter nonnihil dicendum constituimus, quia haecce regio caeteris omnibus, certe quod ad argumentum nostrum, longe praecellit. Omnia enim fere, quae de tollendo servorum Afrorum commercio statuta sunt, Anglorum operae debentur. In ipsa Anglia, de eo commercio tollendo in suis coloniis, actum non fuit, post ea, quae in egregia Rosenthalii dissertatione exhibentur; neque opus erat, quum in Anglia ipsa res revera cessaverit. Sed multae querelae in Magna Brittannia fuere agitatae, de efficacitate pactorum atque legum aliarum gentium, certius constituenda. Indefessus animus, quo et Wilberforcius, et Castlereaghius, et Wellingtonus, et Canningius, et Palmerstonus, et Broughamus, et tam multi alii, causam Afrorum sunt tuiti et adhuc tuentur, diu multos populos in eam deduxit opinionem, Magnam Brittanniam eam ob causam tantum rem tam strenue cordi habuisse, ut interitu affectis aliarum gentium coloniis, suae florentiores evaderent (1).

(1) Videantur, quae Châteaubriandus professus est in Congressu Veronensi, anno 1822, atque etiam libellus nuper in urbe le Havre editus, inscriptus: «*de l'Affranchissement des Noirs dans les contrées intertro*-«*picales.*»

Melius tamen nunc de nobilibus Angliae conatibus existimatur. Anglorum humanitatis consilia, merito jam celebraverat in Dissertatione sua ROSENTHALIUS, et egregia omnino sunt quae Francicus scriptor, proximis hisce annis, ad tollendam erroneam opinionem, professus est (1). «Mais pour dissiper tous les doutes à cet égard, ne suffit-«il pas de rappeler que la question de la traite, fut dans «l'origine soulevée par quelques individus, bien plus «hommes qu' Anglais et tout à fait étrangers au gouver-«nement; que le sentiment religieux fut le lien primitif «de cette généreuse association Africaine, dont le zèle par-«vint avec le temps à former en Angleterre, parmi les «classes les plus intéressées au maintien de la traite, une «opinion jalouse de la détruire: que le gouvernement loin «de suivre d'abord le mouvement qui entraînait les es-«prits, s'attacha au contraire à le réprimer, qu'il fit re-«pousser au sein du parlement, le bill d'adoption reproduit «avec une opiniatreté, qui est un grand exemple, pendant «dix-huit années consécutives, par WILBERFORCE, qu'il ne «l'adopta enfin, et ne fit de ce point, un article fonda-«mental dans ses transactions politiques avec les autres «états, que parceque les progrès de la civilisation avaient «amené la question à ce degré de maturité, qui se mani-«feste par des signes certains à toute administration pru-«dente et qu'il faut savoir reconnaître, si l'on veut gou-«verner sans orages? Cet exposé ne rend il pas suffisamment «raison des actes de ce gouvernement? Et d'ailleurs si le «but de l'abolition de la traite, eût été la ruine des co-«lonies en général, on ne voit guère comment les colonies «Anglaises, eussent pu être exceptées de cette ruine né-«cessaire. Le simple bon sens ne prouvait il pas, que

(1) P. A. DUFAU, in *Revue Encyclopédique*, vol. XLV, p. 259.

«dans ce cas, comme l'a dit Mr. HUSKISSON, l'Angleterre «à qui cette mesure devait être plus fatale qu'à aucune «autres puissance, puisqu'elle possède le plus de colonies, «eût été aussi la dernière à la favoriser?» —

Et porro immensae illae pecuniae summae, quas Anglia, et Hispaniae et Portogalliae tanquam praemia dedit, ut ad tollendum commercium quoque hae se adigi paterentur, nonne probant triumphum humanitatis atque justitiae, praecipuam certe fuisse, quae Anglos moveret, causam.

Satis igitur jam probatum est, consilia Anglorum quam nobilissima fuisse. Attamen simul fatendum est, Anglos saepissime nimis multum a caeteris populis exegisse. Quo enim modo, quaeso, populi illi poterant consentire in repentinam servorum Afrorum commercii abolitionem, cum per tot annos in ipsa Anglia de re fuerit disputatum? Atque sic mirum minime est, gentes, vel in commercii abrogationem haud consensisse, vel siquidem in eam consentirent, tamen commercium illud statim re et facto sublatum haud fuisse. Sensim sensimque demum res progressa est, postquam populi agnoverant quoque, Anglorum conatus omnino esse probandos atque recipiendos, neque ex commercii illius abrogatione tanta metuenda esse, quanta eo usque crediderant. Certe Anglorum conatibus favere haud potuissent umquam, si certum fuisset iis, colonias suas sic pessum iri.

Pacta retulimus cum Hollandia, Francia, Suecia, America Septemtrionali, imo cum tota fere cultiori parte orbis terrarum ab Anglis inita, faustoque eventu citius tardiusve coronata. Sed vidimus etiam populos tres praesertim fuisse, qui sensu humanitatis rejecto, horrendo crimini favere perrexerunt. Iterum hicce referre, quae ea de re jam enarravimus, prorsus foret inutile; sed de iis jam nonnihil observemus, qui apud Anglos maxime

conatuum ad abrogationem commercii impetrandam exstiterunt auctores.

Et primum quidem hic nominandus est GEORGIUS CANNINGIUS, Regii Ministerii Princeps, qui tanquam summus libertatis fautor, cum in Parlamento leges de servorum emancipatione proposuit, tum, die maxime 17 m. Martii 1824, praeclara habita oratione, necessariam ostendit esse abrogationem universam commercii servorum.

Animadvertebat, «illud commercium adhuc bene multum «agi, omnesque conatus Angliae ut aliae gentes huicce se «jungerent, ad commercium illud abolendum, parum pro«fuisse. Ut foederibus sanciatur placitum, naves venalicias, «piraticarum instar capi posse a cujuscunque gentis navibus «bellicis, utilissimum sane esset; sed hoc frustra saepe exe«gerunt Angli. Nihil igitur aliud restat, nisi ut quisque «populus privatim declaret, venalicium esse piraticam, et «ergo ejus reos tamquam piratas esse capite puniendos. Fran«ciam atque Rempublicam Foederatam Americae Septem«trionalis Anglia rogavit, ut naves perquirendi jus admit«teretur. America sola recenter lege declaravit, servorum «commercium piraticae esse assimilandum. Nunc quoque «rogo, ut idem placitum in Anglia accipiatur, cum ita «facilius cum America agi possit de efficacius tollendo illo «horrendo commercio (1).»

Perpauci in eo coetu, CANNINGII votis restitere, atque ita edictum receptum fuit, quo statutum, Angliam rem summo studio persecuturam esse apud alias gentes, et simul cum America Septemtrionali, de optimis modis tollendi commercii acturam esse.

Cum ita summi in monarchia viri, conatibus Societatis Londinensis, Quakerorum etiam, egregie faverent, pacta

(1) Vid. *Histoire du Ministère de* GEORGE CANNING, Paris 1828, vol. I. p. 267.

bene multa, uti vidimus, constituenda curarunt. Inter ea, quae inita fuerant cum Suecia, die 6 Novembris 1824, atque cum Brasilia, die 23 Novembris 1826, cum nova plane placita continerent, edicta postularunt, quibus executioni mandarentur. Prodiit ita in Anglia, die 2 mensis Julii 1827, duplex edictum, quo bene multa de recepto jure naves suspectas perquirendi, nec non de navium captarum venditione, caet., constituta fuerunt (1).

In singulis tamen paragraphis, quibus de his gentibus agitur, vidimus Brasiliam, Portogalliam, Hispaniam atque etiam Franciam, parum tantum ad illud tempus usque, Angliae votis favisse, quia pactis conventis parvam fidem praestiterunt. Attamen gaudere poterant Angli adesse alios populos, qui commercium servorum tollendum revera curaverant.

Pacta autem duo, post ultimam rerum conversionem in Francia, inter Francos et Anglos inita, duxerunt ad novum in Parlamento Anglico edictum, diem ferens inscriptum 28 Augusti 1833 (2). Definiuntur in eo loca, ubi deprehensas naves perquirere atque capere fas est ex pactorum fide. Porro praemium promititur 5 Libr. Sterl., pro quoque nigro vel nigra reperto in nave capta, iis solvendum, qui navem ceperunt. Omnium horum placitorum exsecutio Societati Londinensi mandata fuit.

Ita cum omnibus fere populis satis huic rei prospectum esse, Parlamentum Anglicum existimavit. Attamen denuo, multis querelis de renovato Afrorum commercio auditis, anno 1838 permultum denuo de penitus eo tollendo in Parlamento disputatum fuit. In concionibus habitis die 29 Januarii atque 16 Februarii, Broughamus elegantissima oratione proposuit motionem, qua invitaretur Victoria Regina ad ineundum pactum cum Francia atque

(1) Cf. Murhard, O. c., II. 483, sqq. 487, sqq.
(2) Cf. Martens, *Suppl.*, XVII. 120.

Republica Foederata Americae Septemtrionalis, quo venalicium statueretur esse puniendum tanquam piraticam (1). Simul ostendit damna incredibilia, et summam crudelitatem, quibus adhuc hodie agi pergit servorum commercium. Tanquam ejus orationis supplementum, Minister coloniarum GLENELGIUS, vehementer questus est de negligentia Portogalliae atque Brasiliae in pactis exsequendis (2). In ipsa Parlamenti concione statutum est, Reginam ad pactum cum Portogallia ineundum invitatum iri, cujusmodi pactum tamen huc usque non prodiit.

Die 1 mensis Augusti 1839, in Parlamento Anglico, Ministri varia proposuerunt placita ad strenue coercendum servorum mercatum a Portogallis actum. Erant autem, uti WELLINGTONUS, qui ea dissuaderent propter metum ne inde graves inimicitiae cum Portogallia orirentur. Sed MELBOURNIUS ei respondit, de eo tantum agi ut Regina veniam accipiat de re cum Portogallia agendi, si opportunum videbitur: minime vero eam hocce edicto ad coercendam Portogalliam cogi. Sed multis tamen ardua res visa est. BROUGHAMUS, caeterum tam strenuus Afrorum defensor, concionem reliquit, et decretum propositum suo suffragio confirmare noluit, quibus factum fuit, ut irrita manserint Regiorum Ministrorum consilia.

BROUGHAMUS tamen, qui sibi persuasum habebat de necessitate efficaciora adhibendi remedia, postero die, petiit ut Reginae libellus supplex offerretur, rogans, ut omnibus, quibus posset modis, cum omnibus Europae atque Americae populis, ageret de tristis illius commercii plena abrogatione, utque navium bellicarum duces moneret, nulli parcere operae ad tollendum Afrorum mercatum, qui praecipue vexillis Portogallico atque Brasiliensi ageretur.

---

(1) Vid. *Haarlemsche Courant* van 27 Febr. 1838, pag. 1, atque *de Avondbode*, 17 Febr. 1838.

(2) Vid. idem hocce diarium.

Iterum quidem Dux Wellingtonus restitit, interventioni sic illicitae locum dari censens. Attamen receptum Broughami propositum fuit (1), cujus quae fuerit efficacia, vidimus jam in § 1 capitis praecedentis, ubi multas naves venalicias captas fuisse, tradidimus. Ita indefesso studio progressa Anglia, propius continuo ad ipsum propositum suum adsequendum accessit.

(1) Vid. *Alg. Handelsblad*, van 6 Aug. 1839.

Caput Ultimum.

DE PRAESENTI AFRORUM SERVORUM COMMERCII CONDITIONE.

Antequam transeamus ad examen praesentis Afrorum servorum commercii, animadvertendum videtur, venalicium distingui in duas, valde a se invicem diversas partes. Sunt scilicet diversa, servorum universe commercium, et Afrorum servorum commercium. Hoc constat rapiendis servis ex Africa, iisque in Americam vel aliam qualemcunque regionem ubi servitus agnoscitur, invehendis; illud vero est, quod in ipsis coloniis agitur, servis qui ibi jam degunt. Egimus nos de commercio servorum, qui ex Africa advehuntur; non vero de interna mercatura eorum, qui in coloniis jam tristem vitam degunt; cohaeret scilicet haec magis cum argumento de libertate donanda servis, quam cum illo de Afrorum servorum commercio. Cuique notum est, commercium internum servorum in omnibus coloniis hucusque vigere, exceptis terris Anglorum dominationi subjectis. Verum est, illud minime tanta cum crudelitate tantaque barbarie agi, atque Afrorum, qui ex Africa devehuntur, commercium. Attamen cuique, cui humanitatis causa revera cordi est, odiosus sit necesse est etiam ille hominum vendendi modus, qui ut brevi tollatur tamen non facile potest exspectari.

Commercium hoc internum multo magis ab ipsa coloniarum conditione pendet, quam illud, quo novi servi ex Africa deportantur. Nam tamdiu, quamdiu emancipatio servorum, quoquo modo illa fieri possit, in coloniis arcebitur, tamdiu etiam servorum commercium internum vigeat, necesse est. Coloniae exstare possunt cum numero satis magno servorum, etiamsi nulli novi importentur (1); necessario tamen servorum, qui jam in coloniis adsunt, et liberorum ex iis natorum venditio conservatur. Itaque si statum coloniarum contemplamur, in quibus opinio viget, servis carere colonos nunc certe minime posse, internum servorum commercium perduret necessario, cujus nempe abolendi modus nullus alius est, nisi emancipatio. In omnium fere gentium coloniis, pergunt ita servi tanquam res vendi.

Hac in re igitur a veteribus temporibus minime differt recentius aevum: fatendum tamen simul est, multo melius nunc servos haberi quam saeculis praecedentibus, quum iis nonnulla jura tribui incipiant, quibus olim certe minime gaudebant (2). Ita hodie e. g., in coloniis Francicis, servis conceditur dies in quaque hebdomade, quo in sui ipsius commodum possint agellum suum colere: porro dies Solis, in Summi Numinis cultum impendendus, tempus est universae quietis. Singulis diebus etiam, non amplius quam per 9 horas operas praestare debent. Foeminae gaudent plena quiete, duos menses ante, duosque post par-

(1) Docet hoc, Anglicarum coloniarum exemplum, ubi Afrorum servorum mercatus jam saeculo hocce ineunte revera fuit sublatus, cum tamen per bene multos annos insequentes, sine nova invectione, agri recte coli perrexerunt. Servorum emancipatio demum fuit recepta anno 1838.

(2) Conditionem servorum in coloniis, optime exhibuit Vir. Cons. Nedermeijer von Rosenthal, Diss. Cit., p. 71. Omnino quoque digna quae inspiciatur, legum collectio, dicta *Code Noir*, Paris, 1742.

tum. Attamen, quod ad jus attinet, minime eodem loco et jure habentur, quo Europaei: venduntur servi, nulla ratione habita familiae: matrimonia servi vel rite non ineunt, vel parum observant: libidini et licentiae locum sic dari, ultro intelligitur (1). Haec de Francicis coloniis: de aliis non est quod dicamus. Certe conditio servorum minime ita est beata censenda, ut possint existimari feliciori statu gaudere quam si liberi forent, vel et ipsi possint servitutem libertati praeponere (2). Qui talia proferunt, falsis argumentis utuntur, ut aliis servitutis justitiam persuadeant.

Attamen ab argumento nostro aberramus. De servorum Afrorum commercio solum nobis est dicendum. Eorum, qui jam servi sunt, mercatus, summa hodieque frequentia in Republica Foederata Americae Septemtrionalis agitur, in regionibus, quae servis uti pergunt. Reliquae coloniae omnes, Anglicis exceptis, illud quoque tuentur. Quod ad nostras colonias attinet, distinctio recepta est inter colonias exterorum in quas servi ex Africa invehi pergunt, easque in quas eos invehere est vetitum. Cum his servorum commercium agere nostris colonis conceditur, cum illis vero denegatur, et justissimis quidem de causis.

Sed cum hucusque viderimus, conatus plerumque ab Anglis fuisse institutos, ut a servorum Afrorum commercio averterent reliquas gentes, videndum restat, quid illi co-

(1) « Mais je ne comprends pas comment on proclame sans cesse, au lieu « de la cacher par pudeur, cette ignoble provocation au libertinage. Oui, « il faut qu'on le sache, la générosité des maîtres va plus loin que cela. « Chaque enfant vaut à sa mère une prime de 12 à 15 francs. Il lui vaut « une augmentation de son temps de liberté: et si elle est assez dévergondée et assez féconde pour arriver à huit, elle obtient sa liberté tout « entière. » Verba sunt egregie prolata a de GASPARIN, Op. cit., p. 32.

(2) Vid. passim, opus jam citatum, *Examen de l'Esclavage* etc., pag. 194 sqq., 209 sqq., 266 sqq.

natus efficere valuerint, et an ita commercium istud ex pactorum legumque fide, re et facto sit sublatum. Servorum Afrorum mercatum injustum esse, humanitatique contrarium; servorum Afrorum invectionem in coloniis etiam minime esse necessariam, bene multi monuerunt. Ita perventum est universe ad placitum: «Afrorum servorum «commercium esse tollendum,» — sed videamus, quo successu.

Profecto ex authenticis relationibus satis superque constat, Afrorum servorum commercium haud penitus cessasse, et multa foedera, decreta, leges, declarationesque, efficacitate hucusque fuisse destituta, licet sunt, quibus id minime probabile videatur (1), aut qui saltem putent, id, quod agitur, commercium, adeo exiguum esse, ut justis querelis vix det locum (2).

(1) «On ne pense pas, que les croisières de la France et de l'Angleterre «aient pu rester impuissantes contre un trafic, que les consciences «les moins scrupuleuses réprouvent énergiquement.» Vid. de Gasparin, *Esclavage et traite*, I. 222.

(2) «Pourquoi s'inquiéter, dira-t-on, de quelques exceptions plus rares «chaque jour: de quelques crimes isolés, qui échappent parfois à la «répression? Pourquoi s'inquiéter de l'influence, que veut exercer sur «l'émancipation de nos esclaves, un commerce qu'on a supprimé après «l'avoir flétri, et qui n'existe réellement plus aujourd'hui, que dans les «romans maritimes, auxquels il fournit des combats imaginaires, et dans «l'esprit toujours alarmé des abolitionistes de profession.

«Mais ce prétexte du petit nombre ne subsiste pas lui-même en présence «des faits, et l'histoire entière de la traite est là, pour démontrer que «les prohibitions légales et armées échouent également contre l'avidité «des spéculateurs.

«Il se trouve des hommes, qui afin de gagner un peu d'or, affrontent les «galères; il s'en trouve qui affrontent le canon des frégates; qui mettent «au service de leur criminelle industrie, un courage et une intrépidité, «qui prendraient le nom d'héroisme, s'ils étaient consacrés à une autre «cause. Un commerce, qui, après avoir perdu les encouragemens du trésor, «après avoir subi la double flétrissure de l'opinion publique et des lois, «a bravé les croisières réunies de la France et de l'Angleterre, et trans-

Commercium ergo vigere, et quidem summa crudelitate illud agi ab Europaeis atque Americanis mercatoribus, testantur descriptiones itinerum, proximis hisce annis in Africa factorum (1). Atrocia, quae sic hodieque committuntur, non est quod hoc loco commemorem; eadem illa sunt, quae eloquenter jam descripsit, qui ante me, in hoc argumento tractando tam feliciter versatus est (2).

Ut autem recte procedat nostra ulterior, de praesenti Afrorum commercii conditione, disputatio, videndum nobis erit:

1°. De locis in Africa ubi nunc adhuc servi vendendi exponuntur, unde in colonias deducantur.

2°. De regionibus in quas invehuntur jam servi, deque eorum numero.

3°. De tristi morte, qua Afri bene multi pereunt, antequam tanquam servi in regiones perveniant in quas devehuntur.

4°. De causis quae efficiunt ut venalicium difficulter admodum tollatur.

«porte encore aujourd'hui un nombre d'esclaves suffisant pour alimenter « les populations noires de l'Amérique et des Antilles, un tel commerce ne « peut pas être traité avec dédain. » Egregie haecce scripsit DE GASPARIN, ll. cc.

(1) Inter haec itinera omnino, quae legantur digna sunt, illa facta a DENHAM atque CLAPPERTON, anno 1823; OWEN'S Voyage, London, 1833; porro itinera facta a duce COOK, anno 1836, et sequentibus.

(2) Cf. elegantissima ROSENTHALII dissertatio saepius citata p. 59, sqq. Vid. *Appel sur l'esclavage et la traite des nègres, par la Société religieuse des Amis de la Grande Bretagne*, Paris, 1839, p. 15 et scripta ibi citata; atque CLARKSON, *le cri des Africains*, Londres, 1821. Omnino dignus est qui perlegatur, liber conscriptus a celebri scriptore romantico Francico, EUGENE SUE, nomen ferens inscriptum, *Atar-Gull*, ante hos paucos annos editus, in quo egregie enarratur Afrorum venditio, eorumque in Americam deportatio. Inprimis animadvertatur ibi pactum quoddam de servis vendendis, quod historica fide niti affirmat. Vid. Op. cit., p. 43, edit. 3ae. Cf. quoque F. F. BUXTON, *The African slave trade*, London 1839.

5°. De iis quae adhibita atque adhibenda sunt, ut tollatur Afrorum commercium.

§ 1. *De locis in Africa ubi nunc adhuc servi vendendi exponuntur, unde in colonias deducantur.*

Fassus est BUXTONUS, (quem auctorem potissimum in hacce scriptiunculae parte sequemur,) ingentem hodieque numerum servorum ex Africa alio devehi, imo vero tantum illum esse declaravit, ut, licet rem plane se perspectam habere existimaret, tamen exspectationem numerus longe superaverit (1).

Pacta plerumque ab Anglis cum aliis gentibus inita, uti supra indicavimus, primum eo tetenderant ut ad Septemtrionem saltem Lineae Aequinoctialis Afrorum servorum commercium tolleretur; postea conati sunt Angli efficere ut per totam Africam extenderetur prohibitio. Parum tamen progressi sunt: non quidem pactis, sed factis: nam illorum licet satis magnus numerus exstat, facta tamen haud cessarunt. Regiones ad Septemtrionem Lineae plurimum existimantur aptissimae ad Afros comparandos, atque idcirco Portogalli atque Hispani summo studio curarunt, ut ne a flagitio isto regiones illae liberarentur. Ita patet

---

(1) «The statement which follows, may well be received with some «degree of doubt, and even suspicion. I have not been wholly free «from these feelings myself, and I have again and again gone over the «public documents, on which I have alone relied, in order to detect «any inaccuracy, which might lurk in them, or in the inferences dedu«ced from them. No such mistake can I discover; but my conviction «that the calculation is not excessive, has been fortified by finding that «other persons, who have had access to other sources of information, «and who rest their estimates on other data than those on which I have «relied, make the number of human beings torn from Africa, still greater «than I do.» Cf. ejus opus citatum, *The African slave trade*, pag. 26.

ex relatione authentica (1), locos, ubi nunc praecipue agitur Afrorum servorum commercium, esse partem quamdam littoris Africae ad Septemtrionem promontorii Palmarum, sinus Beninensem atque Biafrensem, promontorium Viride, Bissao, Cacheo, insulasque Principis et Sancti Thomasii (2).

Quod ad solos sinus citatos attinet Beninensem atque Biafrensem, relationes exstant ex quibus apparet, anno 1834, 140,000 Afros inde fuisse evectos (3). Anno sequenti major etiam numerus evasit, cum in America ingens servorum copia cholera morbo fato functa fuisset.

Ex portu St. Paul de Loando, anno 1826, relatus est nuncius, quotannis 18,000, vel 20,000 circiter servos, inde navibus venaliciis Portogallicis atque Brasiliensibus avehi solere (4). Porro, ex actis Parlamento Anglico oblatis, anno 1838, manifestum est, anno praecedenti septuaginta naves detulisse 29,929 servos, ex locis Angola, Benguela, atque Loando, dictis (5).

De Occidentali Africae parte haecce sufficiant. Quod ad Orientalem attinet, Anno 1827, Commodore Owenus ibi navem cepit venaliciam Francicam in qua documenta invenit, unde de 10,000 circiter Afris ex solo portu Mozambique quotannis evectis constabat, qui numerus magis etiam procedente tempore videretur crescere. Porro, anno 1837, Cookius nuncium misit Buxtono, quo affirmaret, eo ipso anno, 21 naves evexisse 8,400 servos. Ex alio portu,

---

(1) *Relation of the British commission at Sierra-Leona*, 31 Decemb. 1838.

(2) Cf. *Allgemeine Preuszische Staatszeitung*, 8 und 9 Marz 1840, p. 271 et 275.

(3) Cf. litterae missae a duce Mac-Leanio, Buxtono, citatae in hujus opere, *The African slave trade*, p. 27.

(4) Cf. Owen's *Voyage*, vol. II. p. 272.

(5) Cf. Buxton, O. c. p. 30.

Quilimane dicto, quotannis 7,200 servi deportabantur. Ad 15,600 ergo crevit numerus Afrorum quotannis in servitutem avectorum, ex illis duobus solummodo portubus (1).

Ut de caeteris locis taceamus, post multas et accuratissimas computationes institutas contendit Buxtonus (2), quotannis 215,000 Afros ex eorum patria a servorum mercatoribus evehi. Tantum valet, eheu, auri sacra fames! Accedit insuper servorum mercatus Muhammedanicus, de quo tamen tanquam ab argumento nostro alieno non dicimus ex industria. Hocce tamen quotannis etiam quinquaginta circiter millia Afrorum avehi constat (3).

§ 2. *De regionibus in quas invehuntur jam servi, deque eorum numero.*

Vidimus supra quaenam sint gentes, quarum curâ coloniae servis muniri pergunt. Lucrum hujus tristis mercaturae increvit, quo majori cum periculo commercium Afrorum servorum agebatur, et sic impedimenta ipsa incitarunt Hispanos, praesertim autem Portogallos atque Brasilienses, nonnunquam etiam Americae Septemtrionalis mercatores, ut nulli parcerent operae ad tristem hanc mercaturam perficiendam. Ita nulla ratione habita pactorum illam vetantium, in Brasiliam maxime, vexillis hujus regionis atque etiam Portogallico, servi invehuntur. Anglicus Consul in portu Rio de Janeiro retulit, in illum solum portum, a die inde 30 Junii 1827, ad 30 Junii

1828.	42,964.
anno 1828 ad 1829.	49,667.
» 1829 ad 1830.	56,777.
adeo in tres illos annos	149,408

(1) Cf. Buxton, p. 28 sqq., quem locum, qui plura cupiunt, perlegant.
(2) Op. cit., p. 32.
(3) Buxton, Op. cit., p. 37—46.

servos fuisse invectos, quod ad 50,000 circiter quotannis redit (1).

Quis forte dicat omnino ita se rem habuisse anno 1830, sed elapso ad tempus usque nostrum fere decennio, multa in ea, curâ Anglorum mutata fuisse. Sed licet Angli minime humanitatis spem fefellerint, tamen eventus eorum conatibus plerumque defuit (2).

Neque diaria tantum publica, illa nunciant. Idem confirmant authenticae relationes Parlamento Anglico, annis 1837 atque 1838, oblatae (3).

Haecce valent de maximo quidem Brasiliensi portu; sed valde erraremus putantes in alios locos ibi servos non advehi. In quatuor alios enim majores imperii Brasiliensis portus, a die inde 1 Januarii 1829, ad 30 Junii 1830, in portum

Bahia.	22,202.
Fernambuco.	8,079.
Maranham.	1,252.
Para.	799.
igitur	32,332

servi fuere invecti, quod ad 21,554 per annum redit (4). In Brasiliam ergo, singulis annis, invehuntur plures quam 78,000 servi Afri.

Neque, quae sic referuntur, plenum offerunt totius rei

(1) Cf. diarium Borussicum jam supra citatum.

(2) Ita recenter legimus. «A Brasil mail has brought advices from Rio «to the 22^d^ April. That fine country appears to be making rapid strides «in civilisation and improvement; the only drawback is the inveterate «and continued encouragement of the slave trade. The Rover corvette «had just captured two slavers having 494 negroes on board; and the «trafic is said to amount to 60,000 annually, into Rio alone, almost en- «tirely carried on under Portuguese colours.» Vid. diarium *the Patriot*, of 25 June 1838.

(3) Inveniuntur hae breviter relatae in *The African slave trade*, p. 8, sqq.

(4) Cf. Buxton, *The African slave trade*, p. 4

conspectum. Consules Anglici, qui in Brasilia munere suo funguntur, valde difficulter admodum cognoscere possunt certum numerum servorum invectorum, cum per totum littus, nec solum in portus, invectio locum obtineat: praeterea, cum census de quoquo servo, uti de quaqua re importata, sit solvendus, multi adsunt vectigalium fraudatores, qui clam, in locos occultos, hominum istas merces suas deponunt, quod frequenter admodum fieri variae relationes probant (1). Quod ad Cubam insulam attinet, constat invectionem ibi non multum recedere ab illa, quae in Brasilia locum obtinet. Vulgo existimatur illa esse quotannis 60,000 servorum; neque numerus qui sic traditur a vero recedere multis videtur (2).

Si porro addimus servos, qui in alias quoque regiones minores, uti Porto-Rico, Buenos-Ayres, Rio-la-Plata, Uruguay, atque Texas, invehuntur, intelligitur numerum allatum 150,000 servorum importarum omnino vero congruum esse (3).

In Americae quoque Septemtrionalis parte Meridionali, servi recenter ex Africa deducti publice vendendi exponuntur. In loco Mantanzas servorum commercium omnino florere dicitur; ubi scilicet servi ex Africa directe deducti publice venduntur, cum magistratus fingant crudelissimam hanc mercaturam se ignorare (4).

Gasparinus, in opere saepius citato, affirmat etiam occulte in colonias Francicas invectionem locum hodieque obtinere. Hocce probat ex servis, qui in opificiis coloni-

---

(1) Vid. Buxton, Op. cit., p. 6.

(2) Cf. Buxton, Op. cit., p. 15.

(3) Cf. Buxton, p. 17, 19, 24 sq.

(4) Vid. diarium *The Emancipator* vocatum, strenuus, uti titulus jam indicat, libertatis servorum defensor. In lucem editur in urbe New-York. Illud, quo quae retuli leguntur, est d.d. 22 Decembris 1836.

arum operas praestant. Scilicet ex lege 4 Martii 1831, servi in fraudem legum invecti, atque a magistratibus deprehensi atque publicati, per septem annos operas debent praestare, ut denuo liberi fiant. Jam in opificiis illis, habebantur etiam post annum 1838, qui ejusmodi operas deberent praestare, unde constabat, post legem editam, servorum commercium agi ibi perrexisse (1).

§ 3. *De tristi morte, qua Afri bene multi pereunt, antequam tanquam servi in regiones perveniunt in quas devehuntur.*

Apparuit ex dictis, quotannis 150,000 servos Afros in Americam invehi, et illa quidem solam importationem spectant. Longe major etiam est numerus eorum, qui antequam pervenerunt quo devehuntur, jam fato functi sunt. Profecto habent quod his invideant, qui in servitutem abducuntur. Nam felicius est vulgo mori, quam vitam vivere servilem.

Afri illi primo sunt comparandi in regione in qua degunt vel habitant, atque ut hocce fiat, Europaei multos Principes Afros adversus se invicem incitant, ut bellis gerendis capiant, quos in servitutem vendant. Crudelissimo modo semper illa bella geruntur; maxima pars devictorum, quae vendi nequit, trucidatur: quae restat, venditur. Ex 18 devictis vulgo non amplius quam 8 in servilem conditionem rediguntur, caeteris decem, vel in praelio, vel post victoriam, trucidatis (2).

Cum ita infelices captivi comparati sunt in regionibus plerumque interioribus Africae, ad littora sunt deducendi,

(1) Cf. *Esclavage et traite*, I. 248.

(2) Cf. Buxton, pag. 50 sqq., scriptoresque ibi citati, atque etiam *Appel sur l'Esclavage*, Appendice, p. 15 usque ad 22.

ubi in locis eum in finem instructis detinentur. Omnes illi, qui in Africa iter fecerunt, conveniunt de crudelibus facinoribus, quae semper illas devectiones comitantur (1). Dicere sufficiat, plerumque in itinere ex patria regione ad littus usque, ex 12 servis 5 fato fungi (2).

Sed jam antequam in naves ascendunt, detinentur exportandi Afri uti modo diximus. In unoquoque eorum loco vulgo mille collecti sunt. Ibi custodiuntur; sed quomodo? Fere sine alimentis aut vestibus, catenis secum invicem allegati (3).

Denique, qui restant, naves ascendunt. In illis tanquam merces exiguo quantum fieri potest spatio concluduntur (4). Nimis longum foret atrocitates hic excitare, quas in navibus illis Afri pati debent (5).

In itinere, vulgo quarta pars perit servorum in naves

---

(1) Cf. FALCONBRIDGE, *On the slave trade*, London, 1788. RILEY'S *Narrative*. BURCHARDT'S, PARK'S, aliorumque *travels through Afric.*

(2) Cf. BUXTON, Op. cit., p. 87. *Allg. Preusz. St. Zeitung*, 9 Marz 1840, ll. ll.

(3) « In this state as horrid as it may appear, the greater part were « left to perish, without food, medicine of cloathing, for the little piece « of coarse cotton cloth, worn by a few of the females, did not deserve « the name, and could answer no other purpose than to lodge the ver- « min with which they were covered; their bones protruding through the « skin, they presented the appearance of living skeletons, lintering amidst « hunger and disease, till death, their best friend, released most of them « at one, from suffering and bondage. » BUXTON, Op. cit., p. 95. Vid. quoque *Appel sur l'Esclavage*, p. 24.

(4) Digna est quae videatur, effigies navis venaliciae, in opere CLARKSONI, *Le cri des Africains*. Londres p. 38. 1821.

(5) Exemplo sit, quod ante hos paucos menses accidit. « Volgens brief « van de Kaap de Goede Hoop, van den 24 Maart 1840, waren den 24 Ja- « nuarij, bij de haven van Mozambique verongelukt twee slavenschepen, « zijnde eene bark en eene brik; de equipagien waren echter, benevens « 200 slaven welke zich aan boord van laatstgenoemde bevonden, gered. « Volgens aldaar aangekomen berigt, had genoemde brik 900 slaven aan

impositorum (1). In America ipsa, postquam eo appulerunt, antequam venditi sunt aut labori se assueverunt, 20 plerumque ex centum moriuntur. Ita quidem haecce omnia eo redeunt, ut ex centum captis, dum ad littus Africae devehuntur ibique detinentur, pereant. . . 50.
In itinere trans mare. . . . . 25.
In America. . . . . 20.
igitur 95 ex 100.

Ita computationes se habent, quas Buxtonus aliique in operibus suis tradunt. Sunt, haud diffiteor, qui iis relationibus commercium illud supra modum exagitari contendunt. Inter hos, Gasparinus tantum esse Afrorum commercium atque vulgo censetur denegat. Citat relationes tribunalis Sierra-Leonae, quod inde ab anno 1830—1838, 142 naves damnavit continentes 32,029 servos, quarum navium 60 erant Hispanicae, 38 Portogallicae, caeterae omnes Brasilienses. Tribunal in urbe Rio-Janeiro, 10 naves per tres annos, illud in Havana insula, 29 per tredecim annos, condemnavit. Naves ita quidem damnatae fere sunt 24 per annum. Vulgo jam existimatur, ex tredecim navibus venaliciis, una capi. Singulis annis sic 309 naves venaliciae, 68,900 servos veherent (2).

Sed omnino credimus nimis exiguum esse servorum numerum, qui ex computatione illa efficitur. Buxtono fides

---

«boord gehad. Wegens eenen opkomenden orkaan was men genoodzaakt «geweest de luiken te sluiten; bij het heropenen derzelve, waren 300 «slaven, door gebrek aan lucht en voedsel gestorven. Door den voortdu«renden storm, moest men echter de luiken wederom sluiten; 300 men«schen kwamen toen mede op dezelfde wijs om het leven, en van de als«toen overgeblevene 300, stierven 100 op reis naar Mozambique, alwaar «de kapitein zich van levensmiddelen had willen voorzien.» *Avondbode*, 1 Junij 1840.

(1) Cf. scriptores supra saepius citati, inprimis Buxton, p. 144.

(2) Vid. de Gasparin, I. 240.

haud deneganda, qui longe majorem refert numerum et melius atque multo facilius inspicere potuit tabulas a Consulibus vel Judicibus ex officio, Parlamento Anglico quotannis oblatas. Sed sit numerus a Gasparino citatus veritati congruus: nonne tamen quisque summa indignatione erit incitatatus, qui perspicit, quantus numerus hominum sic quotannis in servitutem redigatur, post tanta tamque strenua tristis illius commercii abolendi conamina?

§ 4. *De causis quae efficiunt ut venalicium difficulter admodum tollatur.*

Multae causae huc pertinent. Primum quidem, quod status servilis in America semper adhuc receptus sit; nam ita fit, ut sint, qui servos expetant. Alia vero causa, in ipsa Afrorum in patria sua conditione, est quaerenda. Tamdiu, quamdiu illi inculti barbarique homines bella crudelissima inter se gerent, quamdiu morem servabunt captivos vendendi, quamdiu etiam Principes, ex hostium vel subditorum suorum venditione, lucrum sibi comparare conabuntur, quamdiu igitur aderunt loci, ubi servorum mercatores horrendum suum commercium tuto poterunt exercere, tamdiu etiam faustus eventus deficiet iis, qui humanitatis hac in re causam tuentur.

Longe quidam a me absit, ut Afris solis imputem damna, quae ita patiuntur. Sed verum manet paroemium: «si «merx deëst, nullum commercium.»

Alia neque minor causa sita est in iis, quae gerunt Europaei. Quum sacra auri fames eos ad venalicium impellit, difficile est reperire quomodo tristis illa mercatura sistatur. Nihil ex Africa majori studio mercatores sibi comparant, quam servos. Nam sciunt se servos vendendo lucrum enorme atque fere certum esse adepturos. Jam olim

in Anglia fuit observatum, difficillime posse prohiberi commercium fraudulosum, quod lucrum praeberet triginta circiter centesimarum; imo lucrum ex servorum mercatura, aliquando ad 180 centesimas excrescit (1). Atque porro lucrum est fere certum: nam vidimus unam tantum navem ex tredecim vulgo capi. Si semel medium mare attigerit naves magister, certus fere est se, nulla tempestate adversa orta, in portum Americae servos suos tute advecturum esse. Ideo etiam praemia assecurationis permagna ad hoc commercium tuendum inserviunt.

Si omnes gentes Europaeae, pactorum fidem servantes, praesidium venalicio negabant, derepente hocce commercium multum minueretur. Naves bellicae perquisitione efficaciter satis illud possent reprimere. Sed cum adsint gentes quae se a tristi hac mercatura abstinere nolint (2), omnium conatuum effectus hic erit, ut Afrorum commercium ad hos solos populos tanquam monopolium transferatur (3).

Uti jam dixi, omnium praecipua causa adest in conditione servili adhuc in plerisque coloniis recepta. Multis difficultatibus atque periculis obnoxia sit libertas servis data; non diffiteor. Sed quamdiu servitus habebitur tanquam institutum jure receptum, tamdiu etiam quotannis servi novi advehentur. Agrorum domini saepe cupiunt vel servos permutare, vel novos iis adjicere: jam quamdiu haec cupido adest, aderunt semper quoque homines, qui ei satisfacere suo lucro conabuntur.

---

(1) Vid. quae testatur insigni exemplo DE GASPARIN, Op. citato, I. 245.

(2) Omnis de argumento nostro querela huc redit, atque in hoc, tota inest responsio. « *Io nol posso* » — « *Tu non vuoi.* »

(3) « Ce seront de véritables primes d'encouragement, qu'ils lui auront « involontairement accordées. » Vid. DE GASPARIN, I. 244.

§ 5. *De iis quae adhibita atque adhibenda sunt ut tollatur servorum Afrorum commercium.*

Triste effatum est, pacta, quae post pacem universalem contractam, hac de re Angli ineunda curaverunt, parum effecisse (1). At vero nisi de omnibus, certe de bene multis pactis illis valet, quod ita dicitur. Sunt gentes, quae foedera illa non curant. Media coërcendi commercii optima visa sunt, denegatus a plerisque populis usus vexilli bellici sui, quo utentes vulgo naves venaliciae vela faciebant; sed quo tendere potest illa denegatio nonnullorum, quamdiu adsunt qui sinere pergant, vexillo suo in tantum humani generis dedecus quosdam abuti? Poenae satis severae in reos scriptae sunt; sed quo tendunt poenae, si non adplicantur? Naves bellicae custodes constitutae sunt; sed quo inserviunt, si naves venaliciae tam facile periculum effugiunt? Inspectio navium; quo vero inservit, si non omnes gentes eam ubivis concedunt, et si sufficit a littore Africae recessisse, ut tuto servi in colonias abduci possint? Ad nihil omnia illa redire per se patet. Sed quaenam igitur sunt, quibus adhibitis forte totum commercium Afrorum exstingui possit?

Fuerunt qui suaderent, a navium persecutione atque inspectione in maribus reliquis recedere, atque contrahere omnes naves bellicas inspectorias et custodes ad littora Africae ipsius, quo difficilior ita ibi reddatur navibus omnis exinde evasio. Hocce autem, quamvis non plane improbandum videatur, minus satisfaceret, ut opinor, cum sic longe tutius contra redderetur iter trans mare in Americam, et tuta in eam praesteretur servorum invectio. Necessarium omnino est, ut quoque prope colonias adsint naves bellicae,

(1) «Die Traktaten, welche Grosz-Britanien gleich nach dem Frieden «abgeschloszen hatte, erschienen am Ende nur als unnütze und unwirk-«same Papiere.» *Allgem. Preusz. Staats-Zeitung*, 11 Marz 1840, p. 283.

ad impediendum servorum appulsum. Sed praestaret, ni fallor, ut naves bellicae adhiberentur ejus generis, quae vapore moventur, quae ita ventis contrariis non prohibentur ne munere suo fungantur, atque multo celerius quam quaevis aliae, ex uno loco in alterum se possunt convertere. Praestabit etiam propter conditionem locorum male sanam Europaeis, ut ex ipsis Afris, vel saltem ex Afris et ex Europaeis junctim nautae compararentur, quum multi saepe Europaei tristi morte ibi pereant. Ita periculis auctis, multo difficilius foret navibus venaliciis servos in Americam deducere.

Commendandum etiam est ut Afri ipsi in patria sua, quantum ejus fieri potest, ad humanitatem quamdam adducantur, et ad religionis Christianae praecepta instituantur. Ita sane ipsi crudelitatem suam perspicere discent, atque a flagitio se abstinebunt, quod contrarium cujuscunque fere religionis praeceptis, summis detrimentis ipsos afficit. Eo valebit etiam, si certam justamque mercaturam cum Europaeis agere didicerint illi. Nunc Afri recipiunt tanquam pretium annuum hominum atque mercium, qui inde evehuntur, fere 6,000,000 florenos (1). Quam exiguum est illud, si contemplamur terrae magnitudinem fertilitatemque. Nam mira est ibi agrorum fertilitas; sed maxima etiam eorum agrorum copia nunc adhuc inculta jacet (2).

Gasparinus, de Francorum coloniis locutus (3), ad novam invectionem omnem ibi arcendam commendat confectionem tabularum, in quas nomina referantur omnium servorum, qui in coloniis adsunt, vel ibi ex servis nascuntur, vel ibi moriuntur, vel liberi fiunt. Hisce tabulis

(1) Vid. *Allg. Preusz. St. Zeitung*, p. 283.

(2) Cf. Buxton, Op. cit., versus finem.

(3) Cf. Op. cit., I. p. 255.

saepe repetitis, facile erit rite cognoscere, an novi servi in colonias sint invecti, vel liberi in servitutem se redigi passi sint; nam non raro ibi etiam a liberis operarios nigros in servitutem redigi, testatur.

Supra vidimus, in Congressibus Aquis-Granensi atque Veronensi, ejusmodi tabularum confectionem jam fuisse commendatam, sed Veronae, Franciae delegatos illas repudiasse, falso putantes ita posse violari jus dominii in servos.

Ut ut est, receptus est jam hicce modus rem penitus cognoscendi in coloniis Francicis; sed dolendum, minime accurate eo uti magistratus, uti egregie jam est a scriptoribus probatum (1). Quocirca sic jam parum eo profici, minime est quod miremur.

Ut dicamus, quod sentimus, servorum Afrorum commercio favet eximie servilis conditio in coloniis, neque commercium illud facile unquam tolletur, nisi servorum aliquando plena decerni possit emancipatio. «Fermez le «marché,» ait quidam Francicus scriptor, «et la denrée «cessera d'y arriver.» Tunc demum mercatores non amplius juvabit ingentem numerum servorum deportare ex Africa, si eos nullo loco vendere possunt, cum nullo loco servi amplius adsint aut emantur. Num autem dies ille brevi illucescat, quo servitus omnis tolli possit et tollatur revera per terrarum orbem, nostrum non est statuere.

(1) Vid. DE GASPARIN, I. 254, sqq.

TANTUM.

APPENDIX *A*. Pag. 21.

DÉCLARATION DES PUISSANCES SUR L'ABOLITION DE LA TRAITE DES NÈGRES, DU 8 FÉVRIER 1815.

Les plénipotentiaires des puissances qui ont signé le traité de Paris du 30 Mai 1814, réunis en conférence, ayant pris en considération, que le commerce connu sous le nom de traite des Nègres d'Afrique, a été envisagé par les hommes justes et éclairés de tous les temps, comme répugnant aux principes d'humanité et de morale universelle;

Que les circonstances particulières, auxquelles ce commerce a dû sa naissance, et la difficulté d'en interrompre brusquement le cours, ont pu couvrir jusqu'à un certain point, ce qu'il y avait d'odieux dans sa conservation, mais qu'enfin la voix publique s'est élevée dans tous les pays civilisés, pour demander qu'il soit supprimé le plus tôt possible;

Que depuis que le caractère et les détails de ce commerce ont été mieux connus, et les maux de toute espèce qui l'accompagnent, complètement dévoilés, plusieurs des gouvernemens Européens, ont pris en effet la résolution de le faire cesser, et que successivement toutes les puissances possédant des colonies dans les différentes parties du monde ont reconnu, soit par des actes législatifs, soit par des traités et d'autres engagemens formels, l'obligation et la nécessité de l'abolir;

Que, par un article séparé du dernier traité de Paris, la Grande-Bretagne et la France, se sont engagées à réunir leurs

efforts au Congrès de Vienne, pour faire prononcer, par toutes les puissances de la Chrétienté, l'abolition universelle et définitive de la traite des Nègres;

Que les plénipotentiaires rassemblés dans ce Congrès, ne sauraient mieux honorer leur mission, remplir leur devoir, et manifester les principes qui guident leurs augustes Souverains, qu'en travaillant à réaliser cet engagement; et en proclamant, au nom de leurs Souverains le vœu de mettre un terme à un fléau qui a si longtems désolé l'Afrique, dégradé l'Europe, et affligé l'humanité;

Les dits plénipotentiaires sont convenus d'ouvrir leurs délibérations sur les moyens d'accomplir un objet si salutaire, par une déclaration solennelle des principes qui les ont dirigés dans ce travail.

En conséquence, et duement autorisés à cet acte par l'adhésion unanime de leurs cours respectives, au principe énoncé dans le dit article séparé du traité de Paris, ils déclarent à la face de l'Europe, que, regardant l'abolition universelle de la traite des Nègres, comme une mesure particulièrement digne de leur attention, conforme à l'esprit du siècle, et aux principes généreux de leurs augustes Souverains, ils sont animés du désir sincère de concourir à l'exécution la plus prompte et la plus efficace de cette mesure, par tous les moyens à leur disposition, et d'agir, dans l'emploi de ces moyens, avec tout le zèle et toute la persévérance qu'ils doivent à une aussi belle et grande cause.

Trop instruits toutefois des sentimens de leurs Souverains, pour ne pas prévoir que, quelque honorable que soit leur but, ils ne le poursuivront pas sans de justes ménagemens pour les intérêts, les habitudes, et les préventions mêmes de leurs sujets, les dits plénipotentiaires reconnaissant en même temps que cette déclaration générale ne saurait préjuger le terme, que chaque puissance en particulier pourrait envisager comme le plus convenable pour l'abolition définitive du commerce des Nègres: par conséquent, la détermination de l'é-

poque où ce commerce doit universellement cesser, sera un objet de négociation entre les puissances; bien entendu que l'on ne négligera aucun moyen propre à en assurer et à en accélérer la marche; et que l'engagement réciproque contracté par la présente déclaration entre les Souverains qui y ont pris part, ne sera considéré comme rempli, qu'au moment où un succès complet aura couronné leurs efforts réunis.

En portant cette déclaration à la connaissance de l'Europe et de toutes les Nations civilisées de la terre, les dits plénipotentiaires se flattent d'engager tous les autres Gouvernemens, et notamment ceux, qui, en abolissant la traite des Nègres, ont manifesté déjà les mêmes sentimens, à les appuyer de leur suffrage dans une cause, dont le triomphe final sera un des plus beaux monumens du siècle qui l'a embrassée, et qui l'aura glorieusement terminée.

Vienne, le 8 Février 1815.

(*Signé*)

Castlereagh, Stewart, Wellington, Nesselrode, Löwenhielm, Talleyrand, Gomez Labrador, Palmella, Saldanha, Lobo, Humboldt, Metternich.

APPENDIX *B*. Pag. 38.

Wet van den 20 November 1818, houdende strafbepalingen, om den slavenhandel te keer te gaan en te beteugelen.

Wij Willem, bij de gratie Gods, Koning der Nederlanden, Prins van Oranje-Nassau, Groot-Hertog van Luxemburg, enz., enz., enz.

Allen die deze zullen zien of hooren lezen, salut! doen te weten:

Alzoo Wij in overweging genomen hebben, dat wij niet alleen bij Ons Besluit van den 15^{en} Junij 1814, voorloopige maatregelen hebben in het werk gesteld, om den slavenhandel te keer te gaan, maar dat Wij Ons, bij art. 8 van het tractaat van den 13^{en} Augustus 1814, mitsgaders bij art. 1 van het nader tractaat, op den 4 Mei laatstleden, respectivelijk met het Rijk van Groot-Brittannien gesloten, plegtig hebben verbonden, om dezen, de menschheid zoo zeer onteerenden handel, door strafverordeningen krachtdadig te keer te gaan en te beteugelen;

Zoo is het dat Wij den Raad van State gehoord, en met gemeen overleg der Staten-Generaal, hebben goedgevonden en verstaan, gelijk Wij goedvinden en verstaan bij deze:

Art. 1. Het zal aan niemand Onzer onderdanen en, in het algemeen aan niemand, wie hij ook zoude mogen zijn, en die zich binnen Ons Koningrijk zoude mogen bevinden, geoorloofd

zijn, om, na de afkondiging van de tegenwoordige wet, Slavenhandel te drijven, of aan dien handel directelijk of indirectelijk deel te nemen, hetzij door schepen of vaartuigen te dien einde uit te rusten, of aan uitrustingen van nationale of andere schepen en vaartuigen tot dat einde deel te nemen, hetzij door dezelve voorbedachtelijk daartoe te verhuren of te vervrachten; hetzij door Negers, als Slaven af te halen, te koopen, verkoopen, in te ruilen, en in eene der Nederlandsche of ook wel vreemde koloniën of etablissementen buiten Europa, hetzij openlijk of ter sluik in te voeren of te doen invoeren, op pene dat de schuldigen en medepligtigen zullen worden gestraft met eene geldboete van *f* 5,000, mitsgaders reclusie voor den tijd van vijf jaren.

Art. 2. Met gelijke straffen zullen worden gestraft de scheepskapiteins, stuurlieden en supercarga's, welke aan boord van zoodanige, tot den ongeoorloofden Slavenhandel gebezigde, schepen of vaartuigen, voorbedachtelijk zullen hebben dienst genomen, en alzoo hetzij voor eigen, hetzij voor vreemde rekening, dien handel hebben bedreven of begunstigd.

Art. 3. De verdere schepelingen en matrozen, welke weten dat de schepen of vaartuigen, waarop zij dienen, tot den voorschreven handel of tot de begunstiging daarvan bestemd zijn, zullen worden gestraft met eene gevangenis van niet minder dan zes maanden, en niet te boven gaande den tijd van twee jaren. Zij die zulks naderhand ontwaar worden, zijn dadelijk uit hunnen dienst ontslagen, en zullen bij de eerste gelegenheid, waarin zij dit zonder gevaar kunnen doen, denzelven verlaten, op pene, dat zij anders op dezelfde wijs gestraft zullen worden.

Art. 4. Met gelijke gevangenisstraf, als in art. 3 staat vermeld, zullen worden gestraft alle assuradeurs, makelaars, cargadoors en anderen, welke voorbedachtelijk schepen of vaartuigen tot den ongeoorloofden Slavenhandel bestemd, zullen hebben verzekerd, of op eenigerlei wijze derzelver vervrachting of verhuring zullen hebben bevorderd, zullende

daarenboven hun patent terstond worden ingetrokken, en aan hen soortgelijke patenten nimmer mogen worden afgegeven.

Art. 5. De voornoemde strafverordeningen zullen echter in geenen deele toepasselijk zijn op het geval, dat slaven, welke op dit oogenblik in de koloniën aanwezig zijn, of derzelver kinderen, die reeds geboren zijn, of geboren zullen worden, mogen worden vervoerd, in de West-Indiën, van de eene Nederlandsche kolonie naar de andere, of van eene vreemde kolonie naar de andere, of van eene Nederlandsche kolonie naar eene vreemde, of van eene vreemde naar eene Nederlandsche kolonie, of eindelijk, van een gedeelte van eene West-Indische kolonie hoegenaamd, naar een ander; verklarende Wij wel uitdrukkelijk, dat niemand, wie het ook zij, deswege in het allerminst zal mogen worden gemoeid, als zijnde zoodanig vervoer geenszins onder het verbodene bij deze wet begrepen.

Art. 6. Insgelijks zullen de straffen bij de tegenwoordige wet bedreigd, niet kunnen worden toepasselijk gemaakt op degenen, die een schip of vaartuig, met slaven beladen, in nood zijnde, hebben gered en bijgestaan, of ook wel uit zoodanig schip of vaartuig slaven mogten hebben overgenomen, mits de bevelhebber bij het inloopen in de eerste haven, welke hij binnen mogt vallen, daarvan binnen vierentwintig uren behoorlijke aangifte doe.

Lasten en bevelen, enz.

Gegeven te Brussel, den 20 November 1818, van onze regering het vijfde.

(*W. g.*) WILLEM.

Van wege den Koning

(*W. g.*) J. G. de Meij van Streefkerk.

APPENDIX *C.* Pag. 82.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI GREGORII
DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XVI
LITTERAE APOSTOLICAE
DE NIGRITARUM COMMERCIO NON EXERCENDO.

GREGORIUS PP. XVI.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

In supremo Apostolatus fastigio constituti, et nullis licet suffragantibus meritis gerentes vicem Jesu Christi Dei Filii, qui propter nimiam caritatem suam Homo factus mori etiam pro Mundi redemptione dignatus est, ad Nostram pastoralem sollicitudinem pertinere animadvertimus, ut fideles ab inhumano Nigritarum seu aliorum quorumcumque hominum mercatu avertere penitus studeamus. Sane cum primum diffundi coepit Evangelii lux, senserunt alleviari plurimum apud Christianos conditionem suam miseri illi, qui tanto tunc numero bellorum praesertim occasione in servitutem durissimam deveniebant. Inspirati enim a divino Spiritu Apostoli servos quidem ipsos docebant obedire dominis carnalibus sicut Christo, et facere voluntatem Dei ex animo; dominis vero praecipie-

bant ut bene erga servos agerent, et quod justum est et aequum eis praestarent, ac remitterent minas, scientes quia illorum et ipsorum Dominus est in coelis, et personarum acceptio non est apud eum (1). Universim vero cum sincera erga omnes caritas Evangelii Lege summopere commendaretur, et Christus Dominus declarasset habiturum se tamquam factum aut denegatum sibi ipsi quidquid benignitatis et misericordiae minimis et indigentibus praestitum aut negatum fuisset (2), facile inde contigit nedum ut Christiani servos suos praesertim Christianos veluti fratrum loco haberent (3), sed etiam ut proniores essent ad illos qui mererentur libertate donandos; quod quidem occasione inprimis Paschalium Sollemnium fieri consuevisse indicat Gregorius Nyssenus (4). Nec defuerunt qui ardentiore caritate excitati *se ipsos in vincula conjecerunt, ut alios redimerent;* quorum multos se novisse testatur Apostolicus Vir idemque sanctissimae recordationis Praecessor Noster Clemens I (5). Igitur progressu temporis Ethnicarum superstitionum caligine plenius dissipata, et rudiorum quoque populorum moribus Fidei per Caritatem operantis beneficio mitigatis, res eo tandem devenit ut jam a pluribus saeculis nulli apud plurimas Christianorum gentes servi habeantur. Verum, dolentes admodum dicimus, fuerunt subinde ex ipso Fidelium numero qui sordidioris lucri cupidine turpiter obcaecati in dissitis remotisque Terris Indos, Nigritas, miserosve alios in Servitutem redigere, seu instituto ampliatoque commercio eorum, qui captivi facti ab aliis fuerant, indignum horum facinus juvare non dubitarent. Haud sane praetermiserunt plures glor. mem. Romani Pontifices

---

(1) Ad Ephesios VI. 5. seqq., ad Coloss. III. 22. seqq., IV. 1.

(2) Mathaei XXV. 35. seqq.

(3) Lactantius Divin. Institution, Lib. V. c. 16. Tom. IV. Biblioth. Veterum Patrum Venetiis a Gallando editae, pag. 313.

(4) De Resurrect. Domini, Orat. III. Tom. III. pag. 420. Operum edit. Parisien. Anni 1638.

(5) Ad Corinth. Ep. I. cap. 55. Tom. I. Bibl. Gallandii, p. 35.

Praecessores Nostri reprehendere graviter pro suo munere illorum rationem, utpote spirituali ipsorum saluti noxiam, et Christiano nomini probrosam; ex qua etiam illud consequi pervidebant, ut infidelium gentes ad veram nostram Religionem odio habendam magis magisque obfirmarentur. Quo spectant Apostolicae Litterae Pauli III. die 29. Maii MDXXXVII. sub Piscatoris Annulo datae ad Cardinalem Archiepiscopum Toletanum: et aliae deinceps eisdem ampliores ab Urbano VIII. datae die 22. Aprilis MDCXXXIX. ad Collectorem Jurium Camerae Apostolicae in Portugallia; quibus in Litteris ii nominatim gravissime coercentur, qui Occidentales aut Meridionales Indos *in servitutem redigere, vendere, emere, commutare, vel donare, ab uxoribus et filiis suis separare, rebus et bonis suis spoliare, ad alia loca deducere et transmittere, aut quoquo modo libertate privare, in servitutem retinere, nec non praedicta agentibus consilium, auxilium, favorem, et operam quocumque praetextu, et quaesito colore praestare, aut id licitum praedicare, seu docere, ac alias quomodo libet praemissis cooperari* auderent, seu praesumerent (1). Has memoratorum Pontificum Sanctiones confirmavit postmodum et renovavit Benedictus XIV. novis Apostolicis Litteris ad Antistites Brasiliae et aliarum quarumdam Regionum datis die 20. Decembris MDCCXLI. quibus eumdem in finem ipsorum Praesulum sollicitudinem excitavit (2). Antea quoque alius his antiquior Praecessor Noster Pius II. quum sua aetate Lusitanorum imperium in Guineam Nigritarum regionem proferretur, Litteras dedit die 7. Octobris MCCCCLXII. ad Episcopum Rubicensem eo profecturum; in quibus nedum Antistiti ipsi opportunas ad sacrum Ministerum inibi cum majori fructu exercendum facultates impertitus fuit, sed eadem occasione graviter in Christianos illos animadvertit, qui Neophytos in servitutem abstrahebant (3). Et nostris

(1) In Bullar. Rom. edit. typis MAINARDI, Tom. VI. part. 2. Const. 604, pag. 183.

(2) In Bullario BENEDICTI XIV. Tom. I. Const. 38.

(3) Apud RAYNALDUM in Annalibus Ecclesiasticis ad An. 1462. n° 42.

etiam temporibus Pius VII. eodem, qua sui Decessores, religionis et caritatis spiritu inductus, officia sua apud potentes Viros sedulo interposuit, ut Nigritarum commercium tandem inter Christianos omnino cessaret. Haec quidem Praecessorum Nostrorum Sanctiones et curae profuerant, Deo bene juvante, non parum Indis aliisque praedictis a crudelitate invadentium, seu a Mercatorum Christianorum cupiditate tutandis: non ita tamen ut Sancta haec Sedes de pleno suorum in id studiorum exitu laetari posset; quum immo commercium Nigritarum, etsi nonnulla ex parte imminutum, adhuc tamen a Christianis pluribus exerceatur. Quare Nos tantum hujusmodi probrum a cunctis Christianorum finibus avertere cupientes, ac re universa, nonnullis etiam Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis, mature perpensa, Praedecessorum Nostrorum insistentes vestigiis, Auctoritate Apostolica omnes cujuscunque conditionis Christifideles admonemus et obtestamur in Domino vehementer, ne quis audeat in posterum Indos, Nigritas, seu alios hujusmodi homines injuste vexare, aut spoliare suis bonis, aut in servitutem redigere, vel aliis talia in eos patrantibus auxilium aut favorem praestare; seu exercere inhumanum illud commercium, quo Nigritae, tanquam si non homines sed pura putaque animantia forent, in servitutem utcumque redacti, sine ullo discrimine, contra justitiae et humanitatis jura, emuntur, venduntur, ac durissimis interdum laboribus exantlandis devoventur, et insuper lucri spe primis Nigritarum occupatoribus per commercium idem proposita, dissidia etiam et perpetua quodammodo in illorum regionibus praelia foventur. Enimvero Nos praedicta omnia, tamquam Christiano nomine prorsus indigna, Auctoritate Apostolica reprobamus; eademque Auctoritate districte prohibemus atque interdicimus, ne quis Ecclesiasticus aut Laicus ipsum illud Nigritarum commercium veluti licitum sub quovis obtentu aut quaesito colore tueri, aut aliter contra ea, quae nostris hisce Apostolicis Litteris monuimus, praedicare seu quomodolibet publice vel privatim docere praesumat.

Ut autem eaedem hae Nostrae Litterae omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam allegare possit, decernimus et mandamus illas ad valvas Basilicae Principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, nec non Curiae Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Florae de Urbe per aliquem ex Cursoribus Nostris, ut moris est, publicari illarumque exempla ibidem affixa relinqui.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die III. Decembris MDCCCXXXIX. Pontificatus Nostri Anno Nono.

ALOISIUS CARD. LAMBRUSCHINI.

THESES.

I.

Nullus alius exstat vere efficax modus, quo revera tollatur servorum Afrorum commercium, nisi emancipatio ipsorum servorum in omnibus coloniis.

II.

Omnino tamen assentimur Viro Cons. J. Bentham, *Législation Civile et Pénale*, vol. I. p. 109. « Les liens de l'esclavage que le législateur ne « peut pas trancher d'un seul coup, le temps les dissout peu à peu et la « marche de la liberté pour être lente n'en est pas moins sûre. »

III.

Rejiciendus videtur ille servos emancipandi modus, qui in nonnullis Americae Meridionalis civitatibus receptus est, quo parentes servi manent cum eorum liberi in libertatem vindicantur.

IV.

Erronea est opinio eorum, qui putent prohibitionem nuptiarum provinciam administrantes inter et provinciales, in Jure Romano (l. 38 pr. et l. 63 Dig. *de R. N.*) constitutam fuisse ne hisce nuptiis civitati noceretur, si Rector aliusve, ductâ provinciali muliere e familia potentiori,

provinciam opprimere ejusve imperium affectare posset. Docet enim Const. Unica Cod. *Si Rector provinc.*, potius mulierum gratiâ, illam prohibitionem locum obtinuisse, ne provinciarum rectores, suâ abusi auctoritate, eas invitas ad nuptias ineundas cogere possent.

V.

Jure Romano venditor ad ipsam rem venditam tradendam tenetur, neque praestando id, quod interest, defungitur.

VI.

Egregie ait Ulpianus: « In rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo jure quod diu aequum visum est. »

VII.

Assentimur Grotio, *J. B. ac P.* II. 20. 2., de obligatione delinquentis ad poenam subeundam sic dicenti: « Poena ad contractuum naturam accedit; quia sicut qui vendit, etiamsi nihil peculiariter dicat, obligasse se censetur ad ea omnia, quae venditionis sunt naturalia; ita qui deliquit, sua voluntate se videtur obligasse poenae, quia crimen grave non potest esse non punibile, ita ut qui directe vult peccare per consequentiam et poenam mereri voluit. »

VIII.

Rejicienda est sententia eorum, qui statuunt leges criminales adeo certas esse constituendas ut judices, negata iis omni interpretandi facultate, earum verbis inhaerere debeant. Leges enim ita scribi nequeunt ut nullus dandus sit interpretationi locus.

IX.

Arma de quibus sermo est in art. 381, § 5, *Cod. Poen.* ea sunt, quae secum fures attulerunt, non vero quae casu invenerunt in loco ubi furtum commissum est.

X.

Mensuram poenarum parum videtur attendisse *Cod. Crim. Franc.* quum art. 334 in eos qui juventutem corrumpunt poenam scripsit correctoriam, cum contra is, qui piscem e piscina abstulit, secundum art. 388 ejusdem Cod. poenâ plectatur infamatoriâ.

XI.

Art. 840, al. 2 *Cod. Civ.* minime continet placitum, quo dominus ad magnas refectiones faciendas cogi possit.

XII.

Jure Civili nostro, ante confectum inventarium usufructuario non licet ullos, ex re sibi ad fruendum data, percipere fructus.

XIII.

Errare mihi videtur Vir Cons. A. DE PINTO cum dicat, (*Handleiding tot het Burgerlijk Wetboek*, p. II. § 95) art. 159 *Cod. Civ.* plane novum esse neque in Codice Civ. Napoleontico occurrere, cũm hujus Cod. art. 203 plane idem placitum continere videatur.

XIV.

Eleganter dixit matrona DE STAEL, *Réflexions sur la paix*, p. 43. « Toutes les nations ont dans leur sein des hommes mécontens du gou-« vernement établi; soit qu'il n'en existe aucun qui n'ait commis quel-« ques fautes, aucun qui puisse satisfaire également l'ambition de tous: « soit parceque l'homme est si malheureux sur cette terre, qu'il ne peut « s'attacher qu'à ce qu'il ne connait pas. »

XV.

Majestas populi non minuitur, si in communi sociorum exercitu, prin-

cipatus summus ad ducem quemdam, qui praeëst copiis militaribus unius ex sociis, defertur. Quod autem alternatim ille principatus ad varios duces deferatur, ipsius belli ipsorumque exercituum causâ minus est probandum.

XVI.

Recte CICERO, *de Officiis*, I. 9. «Bene praecipiunt qui vetant quidquam «agere quod dubites aequum sit an iniquum.»

XVII.

Verissima est TERENTII sententia, *Adelphorum*, Act. V. sc. III. v. 37.

«Duo quum idem faciunt, saepe ut possis dicere,
«Hoc licet inpune facere huic, illi non licet;
«Non quo dissimilis res sit, set quo is qui facit.»

~~19mo~~

